



# **Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum**

**Simonnet, Edmond**

**Venetiis, 1731**

Disputatio IX. De Judice Controversiarum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83614)

*dicium, ubicumque isti lupi apparuerint, conterendi sint, &c.* At si potuit competens sufficiensque iudicium fieri Pelagianis Concilio generali, quidni etiam potuit & rebaptizantibus, qui solius antiquae consuetudinis robore & vinci poterant, & tandem victi sunt?

R. 2. Augustino Hieronymum aperte contradicere in dialogo adversus Luciferianos, ubi sic loquitur: *Beatus Cyprianus... hereticorum baptismum reprobandus, ad Stephanum tunc Romae urbis Episcopum... super hac re Africanam Synodum direxit: sed conatus ejus frustra fuit. Denique illi ipsi Episcopi, qui rebaptizandos hereticos cum eo statuerant, ad antiquam consuetudinem revoluti, novum emisere decretum, Tum continuo illos sic loquentes inducit: Quid facimus? ita & nobis majores nostri, & illis sui tradidere majores. Novum autem hoc decretum vel ante, vel saltem non multo post B. Cypriani mortem emisere, ut facile intelligitur.*

Quod si quis velit Hieronymum loqui tantum de Africanis Episcopis, pro Orientalibus testem appellabimus ipsum Augustinum, lib. 3. contra Cresconium, cap. 2. ubi sic alloquitur Donatistas: *Majores vestri (primi Donatistae) quibus tale testimonium perhibuistis, quod ab Orientalium propterea communione discesserint, quia illi suum iudicium resciderunt, quo eis placuerat de ista baptismi questione Cypriano atque illi Africano Concilio consentire oportere, contra Cyprianum fecerunt. Primi autem Donatistae longo tempore vixerunt ante Nicaenum Concilium, quod fuit primum generale totius orbis Concilium: neque enim tale fuit Arelatense I. Nam nec ad illud Episcopi ex toto orbe convocati fuerunt, neque in eo per se aut legatos suos Romanus Pontifex praesedit. Unde ad summum vocari potest plenarium Occidentis Concilium,*

Africani igitur & Orientales Episcopi, Cyprianum errantem secuti, cum multo ante Nicaenam Synodum errorem suum deposuerint, sine plenario totius orbis Concilio ad antiquam non rebaptizandi hereticos consuetudinem revoluti sunt. Illis autem ad antiquam illam consuetudinem revolutis, quid circa baptismum, ab hereticis forma debita collatum, controversiae vel dubitationis aut superfluit, aut superesse potuit in Ecclesia catholica?

Omnis igitur controversia, omnisque dubitatio circa baptismum, ab hereticis debita forma collatum, in Ecclesia catholica sublata est sine plenario totius orbis Concilio. Neque hic obesse nobis potest Concilii Arelatenfis I. canon. 8. quo prohibetur ne rebaptizentur ii, qui apud hereticos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti baptizati fuerunt; quia hic canon editus est contra Donatistas, qui facto schismate, controversiam in Ecclesia catholica jam dudum extinctam suscitabant, & baptizatos extra Ecclesiam iterum esse baptizandos contendeabant, atque ita, cum crederent veram Ecclesiam de toto orbe perisse, & in sola parte Donati remansisse, rebaptizabant eos, qui ab Ecclesia catholica ad illos transfugebant.

Ad secundum R. hoc est falsum: cum enim dicit S. Augustinus, *Si aliud alii, & aliud alii adhuc de ista questione, salva pace, sentirent, donec universali Concilio unum aliquid eliquatum sincerumque placuisset*, loquitur tantum hypothetice, hoc est, in ea tantum suppositione, in qua veritas catholica non eliquaretur ante Concilium generale; sive potuerit eliquari sine illo & ante illud, sive non potuerit, de quo hic sollicitus non est; sive eliquata fuerit sine illo & ante illud, ut nos tenemus, sive non fuerit, ut videtur tenuisse S. Doctor.

Bonitas nostrae responsionis patet ex eo, quod ad scopum S. Doctoris sufficiat eum loqui in tali suppositione; vult enim tantum duo in Donatistis reprehendere, videlicet quod & de baptismis hereticorum disceptando non servarent pacem, sed unitatem scinderent, separando se ab iis, qui illius baptismi validitatem defendebant, & hanc validitatem pergerent im-

pugnare, etiam post plenarium totius orbis Concilium, hoc est, post Nicaenam Synodum, canone 19. recipientem baptismum ab hereticis forma debita collatum; quorum primum non fecit, secundum vero non fecisset Cyprianus, cujus tamen exemplo regere se nitebantur Donatistae.

Dices, S. Augustinus, lib. 4. contra duas epist. Pelag. cap. ult. docet aliquas saltem fidei controversias finiri non posse sine Concilio generali. *Aut vero*, inquit, *congregatione Synodi (generalis) opus erat, ut aperta perniciēs damnaretur? quasi nulla heresis aliquando nisi Synodi (generalis) congregatione damnata sit: cum potius rarissime inveniantur, propter quas damnandas necessitas talis extiterit.* R. S. Doctorem loqui non de necessitate absoluta, & proprie dicta, contra quam hic pugnamus, sed tantum de necessitate secundum quid & improprie dicta, fundata in magna aliqua difficultate haereseos progressum, & fidei everisionem impediendi, vitandi vel extinguendi magnum aliquod schisma, novitatis defensores & patronos opprimendi extra Concilium generale.

Bonitas responsionis patet ex eo, quod per rarissimas haereseis, propter quas damnandas necessitatem congregandi Synodum generalem extitisse dicit, intelligat Arianam & Macedonianam. Quis autem negat has haereseis tam potius finaliter damnari sine generali Concilio, quam potuit damnari & re ipsa damnata est Pelagiana haeresis, quae & ab ingeniosis auctoribus accuratissime defensa fuit, & patronos habuit Episcopos non paucos, ob doctrinam & apparentem morum sanctimoniam minime contendendos, & tam profundi fuit examinis, quam Ariana haeresis, quantumvis evidentiam ejus exaggeret S. Doctor.

Porro quandonam hac secunda necessitate necessarium sit Concilium generale, summi imprimis Pontificis est judicare (cujus utpote Ecclesiae rectoris & moderatoris universalis munus est bono Ecclesiae providere) non novatorum, qui Concilia generalia petunt, non ut lites tandem aliquando, sed ut nunquam finiantur. *Hanc gloriam*, ut ait S. Doctor *ibid. captant, ut propter illos totius orbis Synodus congregetur, & quoniam, Domino eis resistente, orbem catholicum pervertere nequeunt, saltem, commovere conantur.*

## DISPUTATIO IX.

De Judice Controversiarum.

## ARTICULUS I.

Utrum detur in Ecclesia iudex controversiarum fidei, &amp; qualis.

## RESPONSIO I.

**D**atur in Ecclesia aliquis iudex controversiarum in materia fidei. Est de fide.

*Prob.* Christus Ecclesiae suae (supple semper visibili) contulit media omnia ad ejus conservationem necessaria: quod enim Christus voluit Ecclesiam suam esse perpetuam, & tamen aliquid ei ad hanc perpetuitatem necessarium denegavit, sine blasphemia asseri non potest. Atqui iudex controversiarum in materia fidei est medium necessarium ad conservationem verae Christi Ecclesiae. Ergo, &c.

*Prob. min.* Nam vera Christi Ecclesia stare non test sine unitate fidei, ut constat ex dictis suo loco de notis & characteribus verae Christi Ecclesiae. Unitas autem fidei conservari non potest sine iudice controversiarum in materia fidei: cum enim identidem etiam graves in materia fidei suscitantur controversiae, vel ob rerum obscuritatem, vel ob demonum aut hominum malitiam, sine iudice, cujus iudicio omnes possint & debeant acquiescere, certo certius membra Ecclesiae in diversas distraherentur.

tur partes in materia fidei, sicque in materia fidei aliis aliud, & aliis aliud tenentibus, fidei upitas tolleretur. Ergo, &c.

*Dices.* Ad conservandam unitatem fidei sufficiunt revelationes divinae, sufficienter propositae per motiva credibilitatis. Ergo non requiritur controversiarum iudex. Neg. ant. *Probabis.* Revelationes divinae per motiva credibilitatis sufficienter propositae, sufficiunt ad credenda ea omnia, quae fide divina credenda sunt. R. revelationes divinae, sic propositae, sufficere ad credenda ea, quae per eas clare exprimuntur, secus vero ad credenda ea, quae per eas exprimuntur, confusè tantum, aut ita per eas exprimuntur, ut locus relinquatur dubitationi & controversiae circa germanum sensum earum; tunc enim præter motiva credibilitatis, quibus revelationes divinae sufficienter proponuntur ut divinae, ad hoc ut omnes credant id quod fide divina credendum est, & ita ad hoc ut una & eadem sit omnium fides requiritur sententia iudicis controversiarum, qua tollatur dubitatio, & controversia finiatur: alioquin privatus quisque revelationes divinae, quantumvis ut divinae sufficienter sint propositae, suo modo interpretabitur in casu obscuritatis, vel controversiae circa legitimum illarum sensum, atque ita unus credit sic, alter autem sic, quo pacto tot ferè sensus erunt in materia fidei, quot capita,

## RESPONSIO II.

Scriptura sacra non est iudex controversiarum in materia fidei.

*Prob. 1.* Nam si Scriptura est iudex controversiarum in materia fidei, vel sumpta secundum litteram, vel sumpta secundum sensum. Neutrum dici potest. Non primum: ut enim dicit Apostolus 2. Cor. c. 3. *Littera occidit*, & est hominibus propter eorum infirmitatem vel malitiam errandi occasio, ut hæcenus satis superque ostendit experientia, & probat exemplum omnium ferè hæreticorum, qui prava sua dogmata stabilire conati sunt Scripturæ divinae testimoniis. Atqui quod est hominibus occasio errandi, & ad stabilendos errores suos abutuntur hæretici, minime idoneum est ad dirimendas fidei controversias. Ergo Scriptura sacra, sumpta secundum litteram, nec est, nec potest esse iudex controversiarum in materia fidei.

Non etiam secundum: nam ad iudicem controversiarum requiritur, ut sententiam possit clare pronunciare, & clare pronuntiet, ita ut intelligatur vel utraque litigantium parte, nullumque tergiversationi locum relinquat; alioquin frustra pronuntiaret sententiam. Atqui saltem sæpe aut omnino non potest, aut non nisi obscuram & ambiguum potest ferre sententiam Scriptura sacra secundum sensum considerata; cum germanus Scripturæ sensus sæpe obscurus sit & ambiguus. Unde sæpe fit, ut utraque litigantium pars eodem utatur Scripturæ testimonio, illudque ad sensum suum trahat.

*At inquit.* Quando sensus Scripturæ obscurus est in uno loco, in alio clarus est, atque ita Scriptura semper potest clare pronunciare, & semper clare pronuntiat sententiam. R. Si ita est, quare novatores, qui Scripturam sacram ut omnium fidei controversiarum iudicem agnoscunt, nullum altercandi finem faciunt, sed æternum inter se digladiantur circa plures articulos fidei? Quare, ut lites suas finiant, non recurrunt ad clara illa loca, quibus aiunt à Scriptura sacra clare pronuntiari posse sententiam?

R. 2. Gratis & falsò dici nullum esse Scripturæ locum obscurum, cui non respondeat alius locus clarus, quo Scriptura sacra sententiam clare pronuntiat, & pronuntiando, omnem alterius tollit obscuritatem: hoc enim evidenter repugnat experientiae, & contrarium probat perpetua Ecclesiæ praxis. Et verò quotiescumque extitit aliqua de legitimo alicujus Scripturæ sensu propter ejus obscuritatem controversia, Ecclesia semper ad traditionem confugit, ut legitimum illum sensum vel investigaret, vel

contra novatores defenderet, ut patet ex actis Conciliorum.

*Prob. 2.* Hic agitur de iudice controversiarum, qui possit omnes omnino controversias in materia fidei timere. Atqui hoc non potest Scriptura sacra. Ergo, &c. *Prob. min.* Nam multae fuerunt, & sunt graves fidei controversiae, quarum nulla prorsus mentio fit in Scriptura sacra, utrum v.g. baptismus ab hæreticis collatus eum expressa sanctissimæ Trinitatis invocatione, validus sit; utrum valeat baptismus infantia receptus; utrum exorcismus & aliae ceremoniae, quibuscum baptismus confertur in Ecclesia, rectè adhibeantur; utrum Symbolum, quod Apostolorum dicitur, si verè Apostolicum; utrum sint plura, quam duo Sacramenta, utrum septem sint; utrum libri Tobiae, Judith, &c. sint Scriptura sacra; & aliae multae, quae proinde per Scripturam sacram decidi nullatenus possunt. Adde ab exordio Ecclesiæ hæcenus plurimas easque graves controversias exortas esse circa verum & legitimum sensum Scripturæ propter ejus obscuritatem, quas ex ipsa Scriptura dirimi non potuisse, & ad earum decisionem ad traditionem recurrendum fuisse docuit experientia.

## RESPONSIO III.

Spiritus privatus non est iudex controversiarum in materia fidei.

*Prob.* Nam spiritus ille privatus, quem Lutherani & Calvinistae volunt esse iudicem controversiarum in materia fidei, vel est privatis cujusque judicium naturale, vel interna, ut aiunt, Spiritus sancti persuasio, qua verum à falsò discernitur in fidei controversiis. Neutrum dici potest.

Non primum: hominis enim judicium naturale in rebus præsertim ad fidem pertinentibus, errori maxime obnoxium est, ut constat experientia. Talem autem controversiarum in materia fidei iudicem Ecclesiæ suæ Christum dedisse, quis sanæ mentis dixerit? Præterea, pro controversiarum fidei iudice privati cujusque judicium naturale qui assignat, assignat pro controversiarum fidei iudice non unitatis, sed divisionis & dissensionis in fide principium (nam ut vulgò dicitur, quot capita, tot sensus, & quod uni naturaliter sapit, alteri insulsus est naturaliter) hoc autem rectè pugnat cum scopo Christi, qui in dando Ecclesiæ suæ controversiarum fidei iudice, unitati fidei providere voluit.

Non etiam secundum: nam vel omnes internam hanc Spiritus sancti persuasionem habent, vel aliqui tantum. Si primum, habent, illam Lutherani & Calvinistae, atque ita cum inter se dissentiant in materia fidei, putà circa præsentiam Christi in Eucharistia, Spiritus sanctus convincitur sibi contrarius esse, simulque verum ut falsum, & falsum ut verum docere, quod est blasphemum & impium. Si secundum, nec constat, nec constare potest sufficienter, quis ex duobus, Luthero v.g. & Calvino, de aliquo fidei articulo, putà de præsentia Christi in Eucharistia, litigantibus, internam illam Spiritus sancti persuasionem habeat; atque ita uterque impunè potest illam prætere, & dicere ab illa sibi causam adjudicari. Unde interna illa persuasio planè inutiliter sententiam fert, & post sententiam laram tam obscura & incerta est veritas fidei, quam ante. Talem autem iudicem, qui certò agnosci non possit ab utraque parte litigantium, quique proinde ut omnino non possit, aut non nisi planè inutiliter possit ferre sententiam, Ecclesiæ ad dirimendas fidei controversias datum dicere, insanire est.

## RESPONSIO IV.

Principes sæculares non sunt iudices controversiarum in materia fidei. Est contra Anglicanos.

*Prob. 1.* Ex Apostolo Ephes. c. 4. ubi sic ait: *Eripso (Christus) dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores & doctores, ad consummationem Sanctorum, in opus ministerii, in adificationem corporis Christi: donec occurramus omnes in unitatem fidei...* ut non jam

jam simus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinae, in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris. Quibus verbis Apostolus, 1. dicit Christum instituisse regimen Ecclesiae duraturum usque ad finem mundi. Dicit Christum hoc regimen instituisse eo praeteritum sine, ut homines, qui sunt in Ecclesia, in vera fide confirmantur, & in ea cum auctoritate continentur, atque defendantur contra haereticorum fraudes & nequitiam. 3. Cum recenseret eos quibus hoc regimen, adeoque fideles in vera fide stabilendi & continendi, atque novitates & novitatum fabricatores proscribendi manus commisit Christus, nullam prorsus principum saecularium mentionem facit. Ergo, &c.

Prob. 2. Auctoritate Patrum, pro quibus omnibus hic nobis sufficient Ambrosius & Athanasius, quorum hic in sua ad solitariam vitam agentes epistola, his verbis Constantinum Imperatorem exagitat: *Quis videns eum in decernendo principem se facere episcoporum, & praesidere judiciis ecclesiasticis; non merito dicat eum illam ipsam abominationem desolationis esse, quae a Daniele praedicta est.* Ille vero in sua epistola 32. quae est ad Valentinianum Imperatorem, sic ait: *Si conferendum de fide, sacerdotum debet esse ista collatio.*

Prob. 3. ex perpetua praxi Ecclesiae, in qua controversiarum fidei iudicium ad principes saeculares nunquam delatum est, sed ad Pontificem Romanum, & alios Episcopos, qui tunc regebant Ecclesiam, ut probant historiae Ecclesiasticae, & acta Conciliorum tam particularium, quam generalium, quae variis temporibus ad extinguendas insurgentes haereses celebrata fuerunt.

Confirmatur ex sensu & praxi religiosorum principum, ut Constantini magni, de quo sic loquitur Ambrosius epistola proximè citata: *Si conferendum de fide, sacerdotum debet esse ista collatio, factum est sub Constantino augusta memoria principe, qui nullas leges ante praemisit, sed liberum dedit iudicium sacerdotibus.*

Jovianus, qui non alios rectam fidem docere praesumpsit, sed ipse doceri voluit ab Athanasio, ut traditur in Athanasii vita, ubi de Joviano dicitur: *Scriptum est etiam Athanasio... petens ut ei rescriberet perfectam divinarum dogmatum disciplinam.*

Valentiniani senioris, quem Sozomenus, lib. 6. hist. Eccl. cap. 7. Hypatiano Episcopo, suo & aliorum Episcoporum nomine, congregandae ad corrigendam fidei doctrinam Synodi licentiam petenti, in hunc modum respondisse narrat: *Mihi quidem in laicorum ordine constituto, fas non est huiusmodi negotia curiosius scrutari. Sacerdotes vero, quibus id cura est, seorsum ubicumque voluerint conveniant; cuius responsi meminit Ambrosius in citata epistola.*

Theodosii junioris, qui in sua ad Ephesinam Synodum epistola sic loquitur: *Nefas est, qui sanctissimorum Episcoporum catalogo adscriptus non est, illum ecclesiasticis negotiis & consultationibus sese immiscere.* Adde factum septem priorum Synodorum generalium, quas convocarunt Imperatores ad dirimendas fidei controversias: hoc enim facto causarum in materia fidei iudicium ad se non pertinere, palam professi sunt.

#### RESPONSIO V.

Populus christianus non est iudex controversiarum in materia fidei.

Prob. Ille non est iudex controversiarum fidei, cuius est non docere, sed doceri; non pascere, sed pasci; non regere, sed regi: talis enim est non praescribere, sed audire quid tenendum ut orthodoxum, quidve ut heterodoxum repudiandum sit. Atqui populi christiani est doceri, non docere; pasci, non pascere; regi, non regere: populus enim christianus grex est, cuius pastores sunt Romanus Pontifex, & alii Ecclesiae Episcopi. Gregis autem est pasci & regi, sicut pastorem est pascere & regere. Ergo, &c. Hoc argumentum suggerit S. Gregorius Nazianz. orat. 9. ubi sic

Simonnet Theol. Tom. II.

ait: *Oves, pastores ne pascite, nec supra fines vestros assurgite: satis enim vobis est, si recte pascimini. Iudices non iudicate, nec legislatoribus leges praescribite, non est enim confusions Deus, sed pacis & ordinis. Ne quis igitur caput sit, qui vix manus, aut pes, aut vilius quoddam aliud corporis membrum est.*

Praeterea, si Christus populo christiano controversiarum fidei iudicium commisit, certè voluit à populo christiano controversias fidei dirimi, vel per viam instinctus, seu internae persuasionis à Spiritu sancto profecta, vel per viam discussionis & examinis. Neutrum dici potest. Non primum: nam instinctus ille, & praesentia illa persuasio interna, à Spiritu sancto profecta ad dirimendas fidei controversias, nulli in Scriptura Sacra populo christiano invenitur promissa; nullum illius extat vestigium in traditione; ante Lutheri & Calvinii tempora audita non fuit in Ecclesia, seminarium est discordiarum & haerelium. Unde talem modum dicimendi controversias fidei à Deo esse institutum, impium est asserere: *Non est enim, ut ait Nazianzenus, confusions Deus, sed pacis & ordinis.*

Non etiam secundum: quod enim Christus populo christiano, cuius maxima pars rudium & idiotarum est, quaslibet fidei controversias etiam intricatissimas discutiendi & examinandi, atque ad hunc finem Scripturarum divinarum sensum legitimum perscrutandi, veras traditiones investigandi, Patrum orthodoxorum scripta, & Conciliorum symbola vel decreta expendendi, quantum ad ferendam sententiam opus est, munus contulerit, dicere & evidenter falsum, & stultissimum est.

Dices. In veteri Ecclesia non semel disputationes de causis fidei etiam à piis & sanctis viris institutae fuerunt coram populo christiano tanquam iudice. Ergo, &c.

Pro solutione nota. Duplex distingui potest & debet iudicium, unum scilicet publicum, & alterum privatum. Publicum est illud, quod publicus iudex profert cum auctoritate illud proferendi, & obligandi ceteros ad acquiescendum illi. Privatum iudicium est sententia, quam utraque parte litigantium audita, auditor quisque ut veram elegit, sed eligendo, neminem alium ad sic sentiendum obligat, aut obligare potest.

Ad obj. itaque R. Populo christiano iudicium publicum in causa fidei nunquam attributum esse à viris catholicis, sed solum aliquando ei delatum esse iudicium privatum, & quia tunc fieri nihil poterat, quod in illis utilitatem magis conduceret, publicas à viris catholicis in causa fidei initas esse cum haereticis disputationes coram illo, permittendo illi ut auditis & ponderatis utriusque partis rationibus, quam veller ut melius sentientem sequeretur, Quod rectè & prudenter factum ita non diffitemur, quoties bonus disputationis exitus probabiliter sperabitur, nec alius periclitanti fidei subveniendi, & fidelium eversionem impediendi suppetet modus.

Dices. S. Ambrosius epist. 32. ad Valentinianum Imperatorem, iudicium publicum in causa fidei attribuit populo. R. hoc esse falsum. Itaque in hac epistola Ambrosius, 1. iudicium publicum in causa fidei attribuit solis Episcopis: sic enim loquitur: *Si conferendum de fide, sacerdotum debet esse ista collatio.* Superius dixerat: *Si vel Scripturarum seriem divinarum, vel vetera tempora revocemus, quis est qui abnuat in causa fidei Episcopos solere de Imperatoribus christianis (adeoque de christiano populo) non Imperatores) aut populum christianum) de Episcopis iudicare?*

2. Necessitate compulsus, tantum defert populo iudicium privatum in causa fidei: sic enim ait: *Veniant plane si qui sunt ad Ecclesiam, audiant cum populo, non ut quisquam iudex resideat, sed unusquisque de suo affectu habeat examen, eligat quem sequatur. Agitur de istius Ecclesiae sacerdote: si audierit illum populus, & putaverit melius disputare; sequatur.*

Cc

tur.

tur fidem ejus: non inuidebo. Dixi autem, necessitate compellus. Pro quo

*Nota.* Valentinianus junior, qui favebat Arianis, jussit Ambrosium cum Auxentio Ariano Episcopo de fide disputare in consistorio coram iudicibus laicis, ipso Imperatore, juvene & catechumeno, praeside & arbitrio. Ea qua decebat Episcopum constantia renuit Ambrosius, simulque, quod reliquum erat, ne videretur adversarium reformidare, & de causa sua bonitate diffidere, indeque poena canendi ansam Arianis fumerent, scripsit ad Imperatorem, paratum se ad congregandum cum Auxentio in Ecclesia coram populo, non ut ferret sententiam, qua stare tenerentur omnes, sed ut auditis hinc inde rationibus, quam vellet fidem amplecteretur; quam conditionem securè proponebat Ambrosius, utpotè qui populi Mediolanensis orthodoxiam, ejusque erga Nicenam Synodum devotionem exploratam habebat.

## RESPONSIO VI.

Primi pastores seu Episcopi sunt iudices controversiarum in materia fidei.

*Prob. 1.* ex Apostolo Ephes. c. 4. dicente, Christum Ecclesiae dedisse apostolos, & pastores ac doctores, hoc est, episcopos, Apostolorum successores, quos vocat pastores & doctores, quia pascunt & docent; vel, si vis, quia docendo pascunt gregem Christi; Christum, inquam, Ecclesiae dedisse Apostolos, &c. *ut non sicut parvuli, fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinae in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris.* Ergo ex Apostolo, Christus Apostolis, & Episcopis eorum successoribus munus imposuit, fideles in vera fide confirmandi & stabilendi; quae vera sunt docendo, quae falsa proscribendo; dubitationes, quae in materia fidei exoriuntur, resolvendo; lites, quae per hominum haereticorum nequitiam excitantur, decidendo; haereticos ipsos, qui fideles omni modo conantur circumvenire, & erroribus suis inficere, profligando: haec enim omnia necessaria sunt, *ut non sicut parvuli, fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinae.*

*Prob. 2.* ex constanti & perpetua consuetudine Ecclesiae: nam Ecclesia omnibus aetatibus exortas in materia fidei controversias detulit ad Episcopos, & per Episcopos deciderit. Sic primo saeculo exorta de legalibus controversia ad Apostolos delata fuit, & ab illis definita in Concilio Hierosolymitano. Secundo saeculo controversia de Paschatis celebratione iudicata fuit a Victore in particulari Synodo Romana, & ab aliis particularibus Synodis tunc temporis in variis orbis christiani partibus celebratis. Tercio saeculo Novatianorum schismata & haeresim in Concilio Romano proscriptis Cornelius. Quarto saeculo Arianæ haeresis à Nicæno, & Macedonianæ à Constantinopolitano Concilio damnata est, &c.

*Prob. 3.* ratione. Nam illorum est controversia in materia fidei decidere, quorum est docere fideles, gregem Christi pascere, regere Ecclesiam Dei, bonum fidei depositum custodire: manifestum enim est, tales munus suum ritè obire non posse sine auctoritate dirimendi controversias fidei, de illisque ferendi sententiam, cui sese submittere teneatur populus Christianus. Atqui Episcoporum est docere fideles, juxta illud Matth. c. 28. *Docete omnes gentes*, dictum Apostolis, & in Apostolorum persona Episcopis, qui successores sunt Apostolorum. Item Episcoporum est pascere gregem Christi, juxta illud Joan. c. 21. *Pasco oves meas*, dictum Petro & successoribus ejus, & illud 1. Petri c. 5. dictum Episcopi in propria persona, *Pascite qui in vobis est gregem Dei*. Item Episcoporum est regere Ecclesiam Dei, juxta illud Act. 20. *Attendite vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*. Item Episcoporum est, custodire depositum fidei, juxta illud 1. Timothei c. 6. *Depositum custodi, devitans prophanas vocum novitates*; & illud 2. ad eund. c. 1. *Formam habet sanctorum verborum, bonum depositum custodi*. Quibus verbis cum Apostolus adhortatur Episcopum ad fide-

bus custodiendum fidei depositum, apertè supponit & significat, hujus depositi custodes à Christo constitutos fuisse Episcopos.

## RESPONSIO VII.

Datur in Ecclesia aliquis Judex infallibilis controversiarum in materia fidei.

*Prob.* Quia datur in Ecclesia judex controversiarum fidei, cujus judicio fideles omnes tenentur acquiescere: alioquin nunquam finirentur controversiae in materia fidei, nunquam finaliter damari possent prava haereticorum dogmata, & post latam à iudice sententiam, adhuc unicuique liberum esset, quam vellet partem amplecti sicque deesset in Ecclesia medium efficax haereticorum contumaciam frangendi, dissidia, quae circa doctrinam in Ecclesia persaepe exoriuntur, compescendi, finales in unius fidei professione continendi: unde brevi destruerentur unitas fidei, & in fide confusio ac diversitas induceretur, sique periret vera Christi Ecclesia contra expressam Christi de perpetuitate Ecclesiae promissionem. Atqui judex, cujus judicio tenentur fideles omnes acquiescere in materia fidei, est in materia fidei infallibilis. Ergo, &c.

*Prob. min.* Nam si judex ille in materia fidei fallibilis est, fieri potest, ut ferat judicium falsum in materia fidei; adeoque fieri potest, ut fideles omnes teneantur acquiescere judicio falso in materia fidei; & sic fieri potest ut Ecclesia universa erret in fide, quod expressis Christi promissionibus repugnat, & Apostolo affirmanti Ecclesiam esse columnam & firmamentum veritatis. Ergo, &c.

Præterea, datur in Ecclesia judex controversiarum, cujus judicio in materia fidei fideles omnes tenentur adherere assensu firmissimo, & omnem prorsus dubitationem excludente: tenentur enim actu firmissimo credere id quod definit esse de fide, & actu firmissimo discredere id quod definit esse contra fidem; alioquin in iis ferè omnibus, quae fidem spectant, fideles essent sicut parvuli, fluctuantes, & vacillare possent: unde facile contingeret eos circumferri omni vento doctrinae, in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris, quod est contra expressam ab Apostolo intentionem Christi. Atqui talem judicem necesse est infallibilem esse in materia fidei: nam si non esset in materia fidei infallibilis, iudicia ejus in materia fidei essent errori obnoxia. Et si iudicia ejus in materia fidei essent errori obnoxia, non possent rationabiliter fideles eis adherere assensu firmissimo, adeoque ad id teneri non possent: neminem enim teneri posse ad id, quod non potest rationabiliter, per se manifestum est.

## RESPONSIO VIII.

Corpus pastorum, cujus caput est Romanus Pontifex, membra verò reliqui Episcopi toto orbe dispersi, est infallibilis judex controversiarum fidei.

*Prob.* Quia ibi saltem reperitur infallibilitas in decidendis fidei controversiis, ubi reperitur suprema auctoritas illas decidendi, ut per se manifestum est. Atqui suprema auctoritas decidendi controversias fidei reperitur in corpore illo, cujus caput est Romanus Pontifex, membra verò ceteri Episcopi toto orbe dispersi: nam 1. quod in illo corpore sit auctoritas decidendi controversias fidei, patet ex dictis Resp. 6. 2. Quod hæc auctoritas sit suprema, probatur ex eo quod nulla alia aut major, aut etiam aequalis possit assignari in terris. Nec dic majorem esse auctoritatem in ordine ad decidendas fidei controversias in universitate pastorum simul & ovium, quam in sola universitate pastorum: cum enim, ut constat ex dictis Resp. 5. in ordine ad decidendas controversias fidei, nulla sit auctoritas in ovibus seu simplicibus fidelibus, ex universitate ovium conjuncta cum universitate pastorum, non potest relutare aliquid majus in ratione auctoritatis in ordine ad decidendas controversias fidei. Ergo corpus pastorum, cujus caput est Romanus Pontifex, &c. est infallibilis judex

iudex controversiarum fidei. Corpus igitur pastorum, cujus, &c. est infallibilis aequè ac supremus controversiarum fidei iudex.

## RESPONSIO IX.

Concilium perfectè œcumenicum est supremus & infallibilis iudex controversiarum fidei.

*Prob.* Nam Concilium perfectè œcumenicum & dicitur, quia repræsentat totum corpus pastorum in ordine ad statuenda ea, quæ ad fidem vel mores pertinent. Ergo in Concilio perfectè œcumenico residet tota auctoritas corporis pastorum in ordine ad statuenda ea quæ ad fidem vel mores pertinent. Ergo Concilium perfectè œcumenicum habet supremam & infallibilem auctoritatem statuendi ea quæ pertinent ad fidem, adeoque supremus est & infallibilis iudex controversiarum in materia fidei.

## RESPONSIO X.

Extra Concilium generale, Romanus Pontifex saltem cum Episcoporum toto orbe dispersorum pluralitate ei consentiente, est supremus & infallibilis iudex controversiarum fidei.

*Prob. 1.* A pari. In Concilio œcumenico suprema & infallibilis auctoritas, quam habet corpus pastorum ad decidendas controversias fidei, exercetur per Romanum Pontificem, & Episcoporum ibi præsentium pluralitatem ei consentientem; atque ita in Concilio œcumenico Romanus Pontifex, cum Episcoporum ibi præsentium pluralitate ei consentiente, est supremus & infallibilis iudex controversiarum fidei. Ergo similiter extra Concilium œcumenicum suprema illa & infallibilis auctoritas exerceri potest, & exercetur per Romanum Pontificem, & Episcoporum toto orbe dispersorum pluralitatem ei consentientem; atque ita extra Concilium œcumenicum Romanus Pontifex, cum Episcoporum toto orbe dispersorum pluralitate ei consentiente, est supremus & infallibilis controversiarum fidei iudex.

*Prob. consequ.* Quia pro utroque similis est ratio: nam sicut in Concilio œcumenico, si ibi ad exercitium suprema & infallibilis auctoritas, quam habet corpus pastorum ad finiendas fidei controversias, requireretur Episcoporum ibi præsentium totalitas cum Romano Pontifice; vel unico cæteris contradicente Episcopo, nec controversia finire, nec hæresis, quantumvis perniciofa, finaliter damnari posset; & sic v.g. in Nicæna Synodo, in qua Episcopi aliqui Atrii blasphemiam damnare pertinaciter renue-  
runt, Ariana hæresis non esset damnata finaliter; quod est falsum & absurdum: ita extra Concilium œcumenicum, si ad exercitium illius ejusdem auctoritatis requireretur Episcoporum toto orbe dispersorum totalitas cum Pontifice Romano, vel unico invito Episcopo, controversia, quantumvis periculosa, finire, & perniciofa novitas, quæ vel unum Episcopum auctorem haberet vel patronum, finaliter proscribi non posset, etiam iis circumstantiis, in quibus Concilium œcumenicum convocari & celebrari, moraliter esset impossibile. Christum autem fidei christianæ incoluntiam non aliter providisse quis catholicus crederet?

Adde inde etiam securum, quodd cum Episcopi non pauci pro Pelagii erroribus contumaciter steterint etiam post decretum Zozimi, nequidem per illud decretum, quamvis totius ferè orbis Episcoporum subscriptionibus firmatum, causa Pelagii finita fuerit, & ejus hæresis finaliter damnata, quod totius antiquitatis sensui certo certius repugnat.

*At inquit.* Extra Concilium œcumenicum ad exercitium suprema illius & infallibilis auctoritatis, quam habet corpus pastorum ad finiendas controversias fidei, non requiritur quidem Episcoporum toto orbe dispersorum totalitas physica; ita ut si vel unus aut alter Romano Pontifici non consentiat, per iudicium à Romano Pontifice latum, cæteris omnibus consentientibus, non finiatur controversia, nec ju-

*Simonnet Theol. Tom. II.*

dicium illud censei possit iudicium corporis pastorum: at saltem requiritur præter Romanum Pontificem Episcoporum toto orbe dispersorum totalitas moralis.

R. Hoc gratis & perperam dici; unde hoc nego, & dico extra Concilium œcumenicum, Episcoporum toto orbe dispersorum pluralitatem sufficere cum capite: sicut gratis & perperam requireretur in Concilio œcumenico Episcoporum præsentium totalitas moralis, & pluralitas cum capite sufficit ad hoc ut finiatur controversia, & sententia quæ fertur, sit sententia Concilii, adeoque & corporis pastorum, quod Concilium repræsentat.

Ratio pro utroque casu est, quia 1. pluralitas iudicium cum præside sufficit ex natura rei, ut omnibus notum est, ad ferendam sententiam etiam definitivam, quodque Christus amplius quid requiri voluerit ad iudicia Ecclesiastica etiam in materia fidei ferenda, & irrefragabiliter ferenda, nulla prorsus ratione probari potest. 2. Hæc pluralitas est quid fixum & determinatum, omnibus facile obviū, nullum cavillandi aut tergiversandi locum litigantibus relinquens. Unde convenientissimum fuit Christum hac pluralitate capiti conjuncta contentum esse, ut sic promptius & facilius insurgentes novitates prosciberentur, fidelium everfio impediretur, novatoribus qui nullum altercandi finem facere volunt, opprimeretur os, atque hoc pacto communi Ecclesiæ bono melius & efficacius prospiceretur.

E contra cum totalitas moralis supra medietatem dicat excessum non qualemcumque, sed cum cujus tantitas non est ex natura rei certa & determinata, sed pender ab æstimatione morali, quæ diversa est in diversis, ad totalitatem illam moralem pauciores supra medietatem Episcopos alii, plures requirent; imò quorum mererit, plures & plures successivè exigent, donec ad ipsam totalitatem physicam tantum non perveniatur. Unde vix ac ne vix quidem constare poterit de morali illa totalitate, cujus necessitas inexhaustus erit altercationum fons, dum interea sub illa totalitatis moralis obscuritate impunè pergent novatores errores suos defendere cum magno Ecclesiæ damno, pervertentque plurimos. Ut igitur aliquid certum & determinatum habeatur in hac materia, unum è duobus dicendum est, scilicet vel sufficere pluralitatem, sive cum notabili excessu conjuncta sit, sive non; vel requiri totalitatem physicam. Hoc autem secundum admitti non posse probatum est. Ergo, &c. Sed

*Sic tamen adhuc argumentor.* Si suprema & infallibilis auctoritas, quam habet corpus pastorum ad finiendas controversias fidei, extra Concilium œcumenicum non exercetur per Romanum Pontificem, & Episcoporum toto orbe dispersorum pluralitatem ei consentientem, sive conjuncta sit cum excessu notabili, sive non; vel quia extra Concilium œcumenicum exerceri non potest nisi per totalitatem physicam, vel quia non potest nisi per totalitatem saltem moralem. Neutrum dici potest. Non primum, ut jam probatum est. Non etiam secundum: nam 1. hæc totalitas non requiritur ex natura rei, & è contra ex natura rei sufficere potest cum capite pluralitas etiam absque notabili excessu. 2. Hujus totalitatis necessitatem à Christo impositam esse, nulla prorsus ratione ostendi potest. 3. Est quid nimis vagum, indeterminatum, & cavillationibus obnoxium, ejusque necessitas gravia tecum afferret incommoda, ut satis declaratum est. Ergo, &c.

Porro Pontifici extra Concilium generale, & in particulari sua Synodo iudicium ferenti de aliqua fidei controversia, pluralitas Episcoporum toto orbe dispersorum consentire potest dupliciter, expressè scilicet, & tacitè: expressè quidem, subscribendo, mandata publicando, vel suffragium suum quocumque alio modo, putà litteris exprimendo; tacitè verò, post evulgationem decreti Pontificii, contra illud non reclamando: cum enim Christus perpetuò assistat, & efficaciter assistat corpori pastorum, ut depositum fidei sibi commissum

Cc 2 ter.

servet integrum usque ad finem mundi, juxta hanc expressam ipsius promissionem Matth. c. ult. *Docete omnes gentes ... Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi*; quovis tempore decretum in materia fidei à Pontifice in particulari sua Synodo editum, & postea evulgatum, procurante Christo, Episcoporum dispersorum saltem pluralitati innotescet, quantum opus est ut prudenter ei (dato quòd decretum in materia fidei à Pontifice in sua particulari Synodo editum errori obnoxium esse possit) consentiat vel dissentiat, prout orthodoxum vel heterodoxum videbitur, eique, si fuerit heterodoxum, eodem Christo procurante, illa saltem Episcoporum dispersorum pluralitas certo certius expressè dissensura est reclamando, ne pereat fidei depositum, & Ecclesia universa auctoritate summi Pontificis in errorem inducatur.

Post evulgationem igitur decreti pontificii in materia fidei, non-reclamatio pluralitatis Episcoporum dispersorum certissimum est indicium consensus illius, & quidem positivi, quo positivè decretum pontificium ut rectum, & fidei consonum recipit & approbat, atque sic illud positivè recipiendo & approbando facit iurum; quamvis consensum exterius non exprimat signo aliquo positivo aut solemniori, aut saltem publico; unde dicitur decreto pontificio tacitè tantum, quàmvis consensum exterius non consentit actu positivo, quo positivè approbet decretum, sed quia actum illum positivum, quo positivè decretum approbat & adoptat, non aliter exterius prodit, quàm per non-reclamationem, quia iudicat taciturnitatem sufficere, aut consensum signo externo positivo & publico manifestatum non expetit summus Pontifex.

## COROLLARIUM I.

Decretum fidei in Concilio generali editum à pluralitate Episcoporum ibi praesentium, & à Romano Pontifice confirmatum, finale iudicium est & irrefragabile.

Sequitur ex Resp. 9. & ratio est, quia decretum illud est iudicium Concilii perfectè œcumenici, seu Concilii corpus pastorum perfectè representantis, adeoque est iudicium, suprema & infallibili auctoritate latum. Atqui iudicium, quod suprema & infallibili auctoritate fertur, finale est & irrefragabile. Ergo, &c. Idem prorsus dicendum de decreto, in quo edendo Patres generalis Concilii sequuntur instructionem summi Pontificis, seu sententiam ejus ab ejus legatis in Synodo expositam; sive enim Patres Concilii idem iudicent quod praedixit Pontifex, sive Pontifex idem iudicat quod praedixit Patres Concilii, perinde est ad perfectam Concilii œcumenicitatem, ut per se manifestum est. Quæ contra obijcere possunt hæretici, vel mendacia sunt, vel frivola. Consule Bellarminum lib. 2. de Conciliorum auctoritate c. 6. & sequentibus.

## COROLLARIUM II.

Decretum fidei extra Concilium œcumenicum à summo Pontifice in particulari sua Synodo editum, & ab Episcoporum toto orbe dispersorum pluralitate expresso consensu receptum, est definitiva & irrefragabilis sententia.

Sequitur ex Resp. 10. & ratio est, quia decretum illud iudicium est à supremo & infallibili iudice prolatum; vel, si vis, iudicium latum suprema & infallibili corporis pastoralis auctoritate, ad cujus exercitium extra Concilium œcumenicum sufficit Episcoporum toto orbe dispersorum pluralitas, expressè consentiens summo Pontifici, in particulari sua Synodo aliquid decernenti in materia ad fidem pertinente. Atqui iudicium aliquod suprema & infallibili auctoritate latum esse, & tamen non esse definitivum & irrefragabile iudicium, evidentem implicat contradictionem. Ergo, &c.

## COROLLARIUM III.

Decretum fidei extra Concilium œcumenicum à summo Pontifice in particulari sua Synodo editum, & ab Episcoporum toto orbe dispersorum pluralitate tacito consensu receptum, est definitivum & irrefragabile iudicium.

Sequitur ex Corollario superiore: decretum enim pontificium tam fit decretum pluralitatis per tacitum consensum, quàm per consensum expressum; nam consensus tacitus tam est actus positivus, quàm expressus consensus, & tam per illum, quàm per hunc, pluralitas decretum pontificium positivè approbat ut rectum, & fidei consonum, & sic approbando adoptat: neque consensus tacitus ab expresso aliter differt, quàm quòd hic per signa quadam positiva, ille verò per solam non-reclamationem exterius manifestatur. Atqui decretum pontificium fit verè decretum pluralitatis expressè consentientis Pontifici. Ergo similiter decretum pontificium fit verè decretum pluralitatis, Pontifici tacitè consentientis. Ergo decretum fidei extra Concilium œcumenicum à summo Pontifice in particulari sua Synodo editum, & ab Episcoporum toto orbe dispersorum pluralitate tacito consensu receptum, sententia est iudicis supremi & infallibilis, seu sententia est, suprema & infallibili corporis pastoralis auctoritate lata. Ergo, &c.

Dices. Ad hoc ut decretum pontificium fiat decretum pluralitatis, non sufficit consensus internus, sed præter internum requiritur externus. Atqui tunc tantum pluralitas non solum interius, sed etiam exterius consentit, cum expressè consentit. Ergo tunc tantum decretum pontificium fit decretum pluralitatis, cum pluralitas expressè consentit Pontifici.

R. Concessa maj. neg. min. Itaque pluralitas non solum interius, sed etiam exterius consentit, cum tacitè consentit. 1. Consentit interius: nam habet actum internum positivum, quo positivè approbat decretum pontificium, illudque recipit ut verum, & fidei consonum. 2. Consentit exterius per non-reclamationem; hæc enim non-reclamatio est suo modo signum externum, & cum consensu interno connexum, adeoque est signum sensibile consensus interni, & tam est, quàmvis non eodem modo, signum sensibile consensus interni, quàm v.g. decreti subscriptio: unde non-reclamatio est verè suo modo consensus externus, sicut consensus externus est decreti subscriptio. Ergo decretum pontificium tam verè fit decretum pluralitatis per consensum tacitum, quàm fit per expressum; proindeque decretum pontificium à pluralitate tacito consensu receptum, tam nititur suprema & infallibili auctoritate corporis pastoralis, quàm si consensu expresso recipereetur; & sic tam est iudicium finale & irrefragabile. Quod

Confirmatur ex sensu universæ Ecclesiæ: nam v.g. constitutiones Pii V. & Gregorii XIII. contra Bajum editæ, tacito tantum consensu ab Episcopis orbe dispersis receptæ fuerunt, & nihilominus Ecclesia universa eas reveretur ut iudicium finale & irrefragabile, adeoque iudicat illas esse sufficienter receptas, ut verè censcantur esse iudicium corporis pastoralis, hoc est, iudicis supremi & infallibilis controversiarum omnium in materia fidei. Porro ad effugium omne novatoribus ocludendum, hic utiliter quaeri potest, utrum iudicium in materia fidei à Summo Pontifice prolatum, possit esse finale iudicium & irrefragabile, præcisò consensu Episcoporum orbe dispersorum. Sit igitur pro hujus questionis resolutione

## RESPONSIO XI.

Iudicium in materia fidei à Summo Pontifice prolatum, & à particulari Romana Ecclesia receptum, est hoc ipso, adeoque præcisò omni tam tacito, quàm expresso Episcoporum orbe dispersorum consensu, iudicium finale & irrefragabile.

Prob. Iudicium infallibiliter rectum & verum pro finali & irrefragabili haberi debet: ad quid enim retractaretur, præsertim cum hic agatur de iudicio pro-

prolato à supremo Ecclesiæ pastore, cui à Christo munus fideles omnes in vera fide confirmandi collatum est; adeoque collata est novitates omnes pro scribendi auctoritas? Atqui iudicium in materia fidei à Summo Pontifice prolatum, & à particulari Romana Ecclesiâ receptum, hoc ipso iudicium est infallibiliter verum & rectum. Ergo, &c.

*Prob. min.* Nam iudicium in materia fidei à Summo Pontifice prolatum, & à particulari Romana Ecclesiâ receptum, non magis potest in sensu composito huius acceptionis falsum esse, & fidei dissonum, quam potest ipsa particularis Ecclesiâ Romana aliquid quod heterodoxum est recipere ut orthodoxum, vel aliquid quod orthodoxum, est repudiare ut heterodoxum. Atqui neutrum potest particularis Ecclesiâ Romana; cum enim sit unitatis centrum, ad quod omnes aliæ Ecclesiæ particulares, quæ cum ea universalem Ecclesiâ constituunt, convenire debent, profitendo scilicet eandem illam fidem, quam ipsa profiteretur, non potest à recta fide deficere, atque ita aliquid heterodoxum ut orthodoxum recipere, vel aliquid orthodoxum ut heterodoxum repudiare nullatenus potest. Sed de hoc jam alias suo loco fusè disputatum est. Ergo iudicium in materia fidei à Summo Pontifice prolatum, & à particulari Romana Ecclesiâ receptum, nullatenus potest falsum esse, & fidei dissonum in sensu composito huius acceptionis, adeoque in sensu composito huius acceptionis, seu, quod idem est, hac supposita acceptione, infallibiliter verum est, & fidei consonum, præciso omni consensu, &c.

Porro iudicium in materia fidei à Summo Pontifice prolatum recipitur à particulari Romana Ecclesiâ, hoc ipso quod recipitur à Collegio Cardinalium Romæ degentium. Cardinales enim Romæ degentes particularem Ecclesiâ Romanam repræsentant in ordine ad acceptandum vel non acceptandum decretum pontificium. Hinc fit

## COROLLARIUM I.

Iudicium in materia fidei, quod à Summo Pontifice profertur in frequenti conventu Cardinalium iudicio consentientium, est iudicium finale & irrevocabile.

Ratio est, quia est iudicium supremi pastoris, in ipsa sui prolatione ab ea Ecclesiâ, quæ centrum unitatis est, adeoque in rebus ad fidem pertinentibus falli non potest, receptum; ac proinde iudicium est supremi pastoris infallibiliter verum & rectum. Atqui iudicium supremi pastoris infallibiliter verum & rectum, non potest non esse finale, & irrevocabile iudicium. Ergo, &c.

*Confirmatur.* Omne in materia fidei iudicium Sedis Apostolicæ censeri debet finale & irrevocabile. Atqui iudicium in materia fidei prolatum à Summo Pontifice in conventu frequenti Cardinalium huic iudicio consentientium, est iudicium Sedis Apostolicæ. Ergo censeri debet finale & irrevocabile. Consequens patet.

*Prob. i. maj.* Nam iudicium in materia fidei latum à primo controversiarum fidei tribunali, censeri debet finale & irrevocabile, si tribunal illud sit in fide infallibile. Pater ex terminis. Atqui Sedes Apostolica est primum controversiarum fidei tribunal, est enim prima Sedes, in qua Petrus in sui successoribus positum sibi à Christo fratres suos, hoc est, universos fideles in vera fide confirmandi munus exercere potest & debet, de insurgentibus fidei controversiis iudicium ferendo. Præterea, Sedem Apostolicam esse in fide infallibilem, satis probat unanimis Doctorum omnium Catholicorum consensus. Ergo, &c.

*Prob. 2. min.* ex vulgatissimo S. Augustini testimonio serm. 2. de verbis Apostoli; ubi ait: *Jam de hac causa duo Concilia missa sunt ad Sedem Apostolicam, inde etiam rescripta venerunt, causa finita est.* Nam iudicium illud, quod dicit S. Doctor finitam fuisse causam Pelagii, continebatur rescriptis Innocentii Pontificis ad præfules Africanos, ut patet ex his S. Do-

*Simonnet Theol. Tom. II.*

ctoris verbis: *Inde rescripta venerunt*; quibus scilicet causa finita est. Sed iudicium quod rescriptis illis continebatur, latum erat ab ipso Pontifice, ut ex rescriptorum lectione clarum est, nec latum erat à Pontifice, nisi post sufficientem consultationem, & diligens veritatis examen tum Clero Romano initum, adeoque à Pontifice, consilio & suffragante Clero Romano, latum erat. Ergo iudicium illud, quod dicit S. Doctor finitam fuisse causam Pelagii: iudicium erat à Romano Pontifice, consilio & suffragante Clero Romano, latum, adeoque S. Doctor per Sedis Apostolicæ iudicium, intellexit iudicium latum à Romano Pontifice, &c. Sed de hoc adhuc infra.

## COROLLARIUM II.

Iudicium in materia fidei, quod à Summo Pontifice profertur in frequenti conventu Cardinalium huic iudicio suffragantium, & postea Episcoporum toto orbe dispersorum pluralitate expresso vel tacito consensu receptum, duplici nititur infallibilitate; infallibilitate scilicet particularis Ecclesiæ Romanæ, & infallibilitate corporis pastoralis.

Pater ex dictis hætenus. Porro quamvis prima infallibilitas non videatur intendi per secundam, quia hoc ipso quod Christus voluit particularem Ecclesiâ Romanam esse unitatis centrum, sine quo rectam fidem tenente subsistere non potest universalis Ecclesiâ, quam idem Christus vult perpetuè durare usque ad consummationem sæculi; tam impossibile est particularem Ecclesiâ Romanam à recta fide deficere, quam perire universalem Ecclesiâ. Secunda tamen infallibilitas superflua dici non potest; plurimum enim non solum ad fideles in vera fide confirmandos, verum etiam ad frangendam novatorum contumaciam conducere potest & conducit tam in Concilio generali, quam extra illud.

## ARTICULUS II.

*Solvitur obiectio petita à lapsu Liberii, & gestis Synodorum Ariminensis & Seleuciensis.*

*Ob. 1.* Malè dicitur infallibilitatem corpori pastoralis à Christo concessam, inveniri in pluralitate Episcoporum, sive in Concilio generali, sive extra illud. Ergo, &c. *Probabis ant.* Nam contingere potest, ut à recta fide deficiat pluralitas Episcoporum, & aliquando contigit, ut Episcoporum pluralitas à recta fide deficeret. R. nos infallibilitatem corpori pastoralis concessam non ponere in pluralitate Episcoporum præcisè sumpta, sed in pluralitate Episcoporum, Romano Pontifici corporis pastoralis capiti conjuncta, eique consentiente; dicimusque fieri non posse, ut pluralitas Episcoporum cum Romano Pontifice erret in fide, adeoque supremam & infallibilem in decidendis fidei controversiis auctoritatem corporis pastoralis exerceri posse, & re ipsa exerceri per Romanum Pontificem, & pluralitatem Episcoporum ei consentientem.

*Ad 1. part. probationis R.* dist. Contingere potest, ut à recta fide deficiat pluralitas Episcoporum, dissentiendo à Romano Pontifice; transeat. Dico, transeat, quia hoc gratis asseritur, nec ullatenus suaderi potest: imò verò contrarium, nempe contingere non posse, ut tanto schismate scindatur Ecclesiâ Christi, sufficientissime probatur ex his verbis, *Porta inferi non prevalebunt adversus eam*: & ex eo quod hæc Christi Ecclesiâ non possit non esse catholica. Contingere potest, ut à recta fide deficiat pluralitas Episcoporum, consentiendo Romano Pontifici, N. Hoc enim evidenter repugnat Christo dicenti: *Eccce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi*: supple, non solum ne totum corpus pastorale, sed etiam ne membrorum ejus major pars cum suo capite à recta fide deficiat: quia si contingeret corpus pastorale in suo capite & majori parte membrorum suorum à recta fide deficere, periret Ecclesiâ, quia desineret esse catholica. Præterea, à recta fide necessariò deficeret universi-

ras ovium: simplices enim fideles cum eis ocellula sit via discussionis & examinis in materia fidei, in rebus ad fidem pertinentibus majori auctoritati tenentur sese submittere; qualem esse pluralitatis Episcoporum Summo Pontifici adherentis auctoritatem, nemo catholicus ambigit.

Ad 2. part. prob. R. neg. Falsissimum enim est, quod aliquando contingerit, pluralitatem Episcoporum aut cum Romano Pontifice, aut etiam sine illo à recta fide deficere.

Dices. Imperante Constantio, & persequente Ecclesiam, Concilium Ariminense quadringentorum Episcoporum, & Seleuciense Episcoporum centum & sexaginta una cum Liberio Papa consenserunt in Arianismum. Ergo aliquando Episcoporum pluralitas una cum Romano Pontifice à recta fide defecit. R. in hac instantia confundi omnia, eamque mendacis scelerare; nec tamen ex antecedente admissio quidquam contra nos secuturum.

Itaque quantum attinet ad Liberium, dico, 1. imperitè & calumniosè dici, quod in Arianismum consenserit. Lapsus quidem est Liberius ex impotentia recuperandæ Sedis desiderio, sed lapsus est, in Athanasii condemnationem consentiendo, & communicando cum Ursacio & Valente Arianis Episcopis, non verò Ariana impietati suffragando: primam enim Sirmensem formulam, quam in catholico sensu exponit Hilarius, non secundam, quæ Ariana est, & subscripsit: imò sub ipsius Constantii oculis eos qui Filium Patri secundum substantiam & per omnia similem esse non confiterentur, condemnavit, & condemnando damnavit Ariana hæresim; nec ullo pacto ab Imperatore, quamvis exilii radio fractus, adduci potuit, ut *omousii* vocabulum proferberet.

Dico 2. falsè asseri, vel supponi, quod Liberii lapsus eodem illo tempore contingerit, quo contigit lapsus Synodi Ariminensis: antequam enim ageretur hæc Synodus, jam ab aliquot mensibus Liberius reversus erat Romam, ibique, sed recuperata, statim pro Nicæna fide bellum Arianis indixerat; tantumque abest, ut cum Ariminensi Synodo nomen Arianae factioni dederit, ut è contra quæ perperam Arimini gesta fuerant, sine mora reprobaret & resciderit, atque Episcopos, qui per vim & dolum ad subscribendam Nicensem formulam fuerant inducti, ad palinodiam, imperata illis Nicæna formulæ subscriptione, coegerit. Vide tom. 2. pag. 139. & seq.

Quantum attinet ad Ariminense Concilium, 1. S. Athanasius in sua ad Africanos epistola scribit, Episcopos catholicos Ariminum convenisse numero ferme ducentos; nec plures adfuisse, validè confirmatur ex eo quod in eadem epistola S. Athanasius Ariminensi Synodo Nicænam opponens, hanc vocet magnam Synodum, & vim faciat in numero trecentorum & septemdecim Episcoporum, qui Nicænae adfuerant. 2. Falsum est, quod Ariminensis Synodi Patres in Arianismum consenserint: nam si consenserunt, vel quia Valentem & alios, qui aderant, Episcopos Arianos in communionem suam receperunt, vel quia subscripserunt Nicensem formulam, in qua Filius præcisè dicebatur similis Patri secundum Scripturas, & *usie* vocabulum proscribebatur. Neutrum dici potest.

Non primum: Arianos enim Episcopos in communionem suam recipere Patres Ariminenses, non quia ipsi facti erant Arianæ, sed quia Episcopos illos aut nunquam animo fuisse Arianos, aut certe ad veram fidem sincerè conversos esse existimabant. Non etiam secundum: nam formula Nicensis erat in sensu obvio catholica, quamvis facillè posset detorqueri in sensum hæreticum, præsertim postquam in ea repudiatum erat *usie* vocabulum: unde potuit quidem tam hæretico animo, quam catholico subscribi: at quod catholico animo, non hæretico, vel, si vis, quod in sensu catholico, non in hæretico scripta fuerit à Patribus Ariminensibus, manifestum sit ex iis quæ proximè ante subscriptionem gesta sunt in Synodo. Vide tom. 2. pag. 129.

At inquit. Patres Ariminenses cum Arianis Episcopis proscripserunt nomen *usie*, seu substantiæ. R. proscripsisse quidem, & in eo graviter peccasse, quod proscripserint; & proscribendo, Nicænam fidem abiecit, non sine gravi scandalo videri sua culpa potuerint hominibus, eorum quæ in Synodo gesta fuerant, ignaris. At non ex eodem affectu proscripserunt, ex quo Arianæ Episcopi: hi enim proscripserunt ex affectu hæresis Arianae, ad quam perimendam vel solum *omousii* vocabulum satis erat: illi verò ex affectu paucis & concordia Orientales inter & Occidentales Ecclesias conciliandæ, & quia aliunde judicabant, quod verum erat; veritatem catholicam, cui erant addictissimi, sine vocabulo *usie* teneri & defendi posse. Vide tom. 2. pag. 301. & seq.

Quantum ad Seleuciensem Synodum attinet, 1. ex centum & sexaginta Episcopis qui Seleuciam conveniunt, teste S. Hilario qui aderat, novemdecim tantum reperti sunt Arianæ, inter quos Antesignani locum obtinebat Acacius, quique Filium Patri dissimilem dixerint; reliqui verò partim *Omousiani*, partim *omousiani* erant; ei quidem centum & quinque, & illi proinde, qui omnes erant Egyptii, triginta sex. Porro *Omousiani*, qui reliquis numero superiores erant, quanquam Filium Patri *omousion* dicere renuerent, seu, quod idem est, respuerent *omousii* vocabulum, causas illud non nisi rebus corporeis & mutabilibus attribui posse, nihilominus rectè sentiebant de divinitate Filii: dicebant enim illum Patri *omousion*, quæ vox *omousio* æquivalet. Vide tom. 2. pag. 130. 184. 255. & seq.

2. Acacianis *omousion* pariter & *omousion* à Synodo damnari volentibus constanter resistere *Omousiani* Episcopi, qui formulam Antiochenam, in qua Filius dicebatur *Deitatis, substantiæ, voluntatis, potentie, & glorie Patris absque omni dissimilitudine imago immutabilis & inalterabilis*, recipere nolentibus, anathema dixere, formulam Ariana ab Acacio fabricatum explodere, unam Antiochenam formulam ratam esse debere, pronunciare, eamque subscribere omnes. Quo facto ita Nicænam Symbolum prætermiserunt, & tacite respuerunt, ut tamen ab eorum, qui Filium creaturam dicebant, blasphemiam essent alienissimi. Ex his autem apparet, quàm falsè dicatur, in Seleuciensi Synodo centum & sexaginta, qui adfuerunt Episcopos, in Arianismum consensisse; cum è contra ex illis centum & quadraginta pro Verbi divinitate steterint. Vide tom. 2. pag. 130. & seq.

Denique permisso toto antecedente. R. neg. conseq. Nam ex eo quod quadringenti, vel etiam, ut volebant Julianus Pelagianus Episcopus, sexcenti Episcopi in Ariminensi Synodo, & in Seleuciensi centum & sexaginta, in Arianismum consensissent, minime sequeretur Episcoporum majorem numerum à recta fide defecisse sub Constantio; nam eo tempore plura erant in Ecclesia Episcoporum millia; imò jam ab eo tempore quo Donatistarum schisma exortum est, vel etiam ante tempus illud, plura millia Episcoporum numerabat Ecclesia, teste S. Augustino lib. 3. contra Cresconium cap. 3. ubi sic loquitur, & urget Donatistas: *Proinde si omnino jam credendum sit quinquaginta Episcopis Orientalium id esse visum quod septuaginta Afris vel aliquando etiam pluribus contra tot millia Episcoporum, quibus hic error in toto orbe displicuit, cur non potius, &c.* Quibus verbis aperte significat, plura fuisse tunc temporis, quàm duo Episcoporum millia; non enim duo tantum millia vocasset, aut etiam vocare potuisset tot millia.

Numerus igitur Episcoporum ab exordio Ecclesiæ ad exordium Ichismatis Donatistarum creverat ad tria saltem quatuorve millia, & hunc numerum sub Constantino Imperatore christianissimo, aut filio ejus Constantio, qui, quamvis ex errore faveret Arianis, humanus erat Princeps, & christiano nomini amicissimus, esse diminutum, credere stultum esset: imò verò multum crevisse, par est credere. Certe anno 431. hoc est, ab Ariminensi & Seleuciensi Synodis septuagesimo primo, seu Episcoporum millia numerabat S. Dalmatius: sic

sic enim pro Synodo Ephesina Imperatorem interpellans, eum alloquebatur, tom. 3. conc. pag. 754. *Sex millia ne Episcoporum audire mavis, an unum hominem, eumque impium?*

## ARTICULUS III.

*Solvitur obiectio petita à facto Honorii.*

**O**bj. Honorio dogmata hæreticorum fidelibus proponenti ut verum fidei dogma, omnes ferme Episcopi tacite vel expresse consenserunt. Ergo male dicitur pluralitatem Episcoporum cum Romano Pontifice vera fide deficere non posse, etiam extra Concilium generale. *Probabis aut.* 1. Honorius, Heraclio imperante, ad Sergium Constantinopolitanum Patriarcham Monachelitam scripsit litteras, quibus Monachelitarum placita confirmabat, expresse asserendo unam Christi voluntatem, & prohibendo dictionem duarum in Christo voluntatum. 2. Nullus in Occidente Episcopus palam restitit litteris illis, quandiu vixit Honorius. 3. Litteras illas expresse consensu receperunt tres Orientis Patriarchas, Constantinopolitanus scilicet, Alexandrinus, & Antiochenus. 4. denique, unus aut pene unus Sophronius Patriarcha Hierosolymitanus, contra illas Honorii litteras aperte reclamavit.

*R. neg. ant.* in quo mala fide supponitur ab Honorio editum esse solemne aliquod decretum, Ecclesiae universae proponendum, quod insigniter falsum est: nam Honorii litteræ vel in Synodo Episcoporum, vel saltem consensu & suffragante Clero Romana, conscriptæ fuissent, si quid in illis pro universa Ecclesia decernere voluisset Honorius. At neutrum dici potest. Non primum, ut testis est Honorius ipse in sua epistola, ubi ait, neque unam neque duas in Christo operationes esse dicendas, quia utrum dicendum sit, nondum in aliqua Synodo examinatum est & definitum. *Non oportet*, inquit tom. 6. Conc. pag. 932. *ad dogmata hæc Ecclesiastica retorquere, quæ neque synodales apices super hoc examinauerunt, neque auctoritates canonice visa sunt examinasse, ut unam vel duas energias aliquis præsumat Christi Dei predicare.*

Non etiam secundum, ut probatur 1. ex epistola S. Maximi martyris ad Marinum presbyterum, ubi refert, tom. 5. CC. p. 1765. Anastasium Abbatem, cum primarios Ecclesiae Romanæ viros percontaretur, *cujus rei gratia in Honorii ad Sergium epistola, vel qualiter inserta fuerit una voluntas, invenisse hesitantes in hoc, quod manifestum indicium est, illos hujus epistolæ minime participes fuisse.* 2. Ex eo quod Heraclii Ecthesim, unius vel duarum operationum dictiones prohibentem, ubi primum Romam delata est, reprobat Clerus Romanus, cujus principes eam ob causam in exilium pulsi sunt, & ab Imperatoris satellitibus graviter vexati. Quo facto satis superque ostenditur, Honorii ad Sergium epistolæ neminem Romæ, quoad Honorius superstes fuit, præter Honorium ipsum & Amanuensem ejus consensum fuisse, quod amplius adhuc confirmatur ex eo quod, publicata Honorii aliquantulum post ejus obitum epistola, à Joanne IV. mediato ejus successore solus Amanuensis ille iustus fuerit, quo sensu unam Christi voluntatem in dicta epistola scripsisset, exponere, ut colligitur ex disputatione S. Maximi cum Pyrrho, quæ extat in tom. 5. Conc. Vide pag. 1813. & 1616.

*Ad primam partem prob. ant. R.* Honorium in sua ad Sergium epistola posuisse unam Christi voluntatem, non ut Christo solam voluntatem divinam attribueret, sed ut à Christo excluderet duas voluntates humanas contrarias. Voluntatem in Christo dixit Honorius, non unam simpliciter, sed unam humanam, nempe voluntatem spiritus, & dixit contra eos, quos scripserat Sergius duas in Christo ponere voluntates humanas, invicem reluctantes, nempe voluntatem spiritus, & voluntatem carnis; hoc est, ut nos loquimur, contra eos, quos Sergius scrip-

*Simonet Theol. Tom. II.*

serat Christo præter appetitum rationalem, concupiscentiæ fomitem attribuere.

Patet 1. ex Joanne Abbate qui hanc Honorii epistolam ex ipsius persona scripserat, quique totum Occidentem fide sua, aliisque virtutibus illustravit, ut testatur S. Maximus in sua cum Pyrrho disputatione, tom. 5. CC. p. 1813. Hic autem Joannes, olim apud Honorium Amanuensis, officio functus, & dicte epistolæ conscriptor, de ea ad Constantinum Imperatorem iussu Joannis Papæ IV. scribens, sic loquebatur, tom. 5. Conc. p. 1816. *Unam voluntatem diximus in Domino, non divinitatis ejus & humanitatis, sed humanitatis solius: cum enim Sergius scripsisset, quod quidam duas voluntates in Christo contrarias dicerent, diximus Christum non duas voluntates contrarias habuisse, carnis, inquam, & spiritus, sicut nos habemus post peccatum, sed unam tantum, quæ naturaliter humanitatem ejus signabat.*

Hic autem Joannem Abbatem non mentiri, & germanum exponere sensum epistolæ, ex ipsius epistolæ contextu facile demonstrari potest: sic enim habet, tom. 6. Conc. pag. 929. *Unde & unam voluntatem faciemur Domini nostri Jesu Christi, quia profecto à divinitate assumpta est nostra natura, non (originalis) culpa, illa profecto (natura) quæ ante peccatum creata est (in statu innocentie, in quo caro spiritui, sicut & spiritus Deo perfecte suberat) non quæ post (Adami) prævaricationem (qua Adamus se ipsum & posterum suum originalis integritatis dono spoliavit) vitiatæ per fomitem concupiscentiæ. Tale autem rationum ad hoc pertinere manifestum est, ut à Christo non voluntas spiritus, sed voluntas carnis, non appetitus rationalis, sed sola appetitus materialis rebellio excludatur, adeoque ab eo removeatur, non voluntas humana, sed voluntatum humanarum invicem reluctantium contrarietas, quæ effectus est culpæ originalis, quam non assumpsit divinitas.*

Patet 2. ex apologia, quam pro Honorio ad Constantinum Imperatorem Heraclii filium misit Joannes IV. Honorii post Severinum successor. In hac autem apologia expositionem nostram probans, sic ait, tom. 5. Conc. pp. 1760. & 1761. *Secundum hunc igitur modum jam dictus decessor noster (Honorius) prænominato Sergio patriarcha percontanti scripsisse dignoscitur, quia in Salvatore nostro duas voluntates contrarias, id est, in membris ipsius, penitus non consuevit, quoniam nihil vitii traxit ex prævaricatione primi hominis: Et inferius: Prædictus ergo decessor meus docens de mysterio incarnationis Christi, dicebat non fuisse in eo, sicut in nobis peccatoribus, mentis & carnis contrarias voluntates.*

Ad id quod additur, Honorium prohibere dictionem duarum operationum in Christo, *R. 1.* privatas fuisse Honorii ad Sergium litteras, ut ex supra dictis manifestum est. Quod autem Honorius privatis litteris aliquid pro universa Ecclesia præcipere vel prohibere intenderit, asserere satis ineptum est. Sergius privatis litteris Honorium (neque enim synodica fuit Sergii ad Honorium epistola) consuluit. Honorius vicissim privatis litteris Sergio respondit, exposuitque quid sibi privato videretur satis ad sedandas turbas illas, quas ex dictionibus unius operationis & duarum operationum in Oriente exortas esse scripserat Sergius, ab utraque videlicet dictione pariter abstinendum esse, donec aliud in aliqua Synodo statueretur; quoniam veritas catholica verbis duarum operationum dictioni æquivalentibus sufficienter exprimi & defendi poterat. Sed

Dato quod pro universa Ecclesia prohibuerit dictionem duarum operationum cum dictione unius operationis, *R. 2.* prohibuisse ex affectu pacis & concordie inter Orientales Ecclesias conciliandæ, non verò ex affectu stabiliendi Monothelismi: simul enim expresse voluit ut catholicum dogma verbis duarum operationum dictioni æquipollentibus exprimeretur atque defenderetur. Patet ex ejus epist. quam his concludit verbis, tom. 6. Conc. pag. 933. *Horantes vos, ut unius vel geminae novæ vocis inductum operationis vocabulum*

C c 4 *aliquis*

*ausugientes, unum nobiscum Dominum Jesum Christum Filium Dei vivi, Deum verissimum, in duabus naturis operatum divinitus atque humanitus, fide orthodoxa, & unitate catholica predicetis.* Quibus verbis proculdubio jugulatur Monothelismus. Qui enim dicit Christum in natura divina divinitus, & in humana humanitus operari, si non quoad vocem, certe quoad rem in Christo præter operationem naturæ divinæ propriam, agnoscit & operationem aliam propriam naturæ humanæ; sicque si non quoad vocem, certe quoad rem in Christo confiteretur geminam operationem, unam divinam, & humanam alteram.

Ad 2. part. prob. R. nullum in Occidente Episcopum palam reclamasse contra Honorii litteras quandiu superstes fuit Honorius; quia contra id quod penitus ignoratur, reclamari non potuit, & Honorii ad Sergium epistola, quoad superstes fuit Honorius, in toto Occidente penitus ignorata fuit. Sic autem fuit ignorata Honorii ad Sergium epistola, quia Sergius, ratus proculdubio epistolam hanc Monothelismo suo obfuturam potius, quam profuturam esse, si evulgaretur, noluit eam in lucem prodire, & in ejus locum Ecclésiæ à se fabricaram substituit, publicavitque sub Heraclii Imperatoris nomine.

Porrò quoddam Sergius acceptam ab Honorio epistolam evulgare noluerit, apertè colligitur ex latrociniali Synodo, quàm Constantinopoli coegit pro confirmanda Ecclésiæ, & in qua cum multa dicerentur ad stabilendam hujus Ecclésiæ præsentant orthodoxiam, ne vel levissima Honorii epistolæ injecta est mentio, aut ab ipso Sergio, aut ab aliquo alio ex iis qui Synodo intererant. Et verò si Sergius epistolam illam publici juris fecerat, quare in Synodo laudata non est? quare ab omnibus, qui aderant, non expressè recepta? quare non Episcoporum expresso consensu, vel etiam subscriptionibus firmata? quare non ejus auctoritate Ecclésiæ roborata?

Præterea, quoddam Honorii epistola post ejus & Sergii obitum, saltem in Occidente primum vulgata fuit à Pyrrho, qui in Sergii sedem & hæresim successerat, invictè probatur ex Joanne IV. in apologia quam scripsit pro Honorio, & in qua sic loquitur: *Quantum ex diversis suggestionibus, quæ ad nos cateruatim venerunt, quin quomodo ex ipso quoque auditu didicimus, occidentales partes scandalizatae turbantur, fratre nostro Pyrrho Patriarcha per litteras suas huc atque illuc transmissas nova quadam & præter regulam fidei prædicante, & ad proprium sensum quasi sanctæ memoriæ Honorium Papam prædecessorem nostrum attrahere festinante, quod à mente catholici Patris erat penitus alienum.*

Quoddam autem Honorii epistolam non publicavit Pyrrhus, nisi postquam Constantinopoli cedere coactus est satis colligitur ex Synodo, quam egit pro Ecclésiæ, in qua ipse, & post eum, qui aderant, episcopi, Ecclésiæ subscripserunt, simulque decretum est, ut ab omnibus aliis absentibus subscripserunt, nulla prorsus litterarum Honorii ad Sergium facta mentione. Itaque omnino dicendum videtur, tunc primum à Pyrrho publicatam esse Honorii ad Sergium epistolam, postquam seditione populi, cujus ob hæresim suam gravem offensionem incurrerat, ex urbe regia pulsus in Africam navigavit, inde in alias omnes Occidentis partes transmittendo litteras, quibus adjunxit lacinias ex epistola Honorii decerptas, ut sic facilius Romani Pontificis auctoritate Occidentales Episcopos sibi conciliaret, omnesque, si fieri posset, pertraheret ad sua castra.

Vertipellam hæreticum fefellit spes, Ingens in toto Occidente scandalum pepererunt ejus litteræ. Totus Occidens turbatus est, vel ob id tantum, quoddam Romani Pontificis epistola hæreticæ pravitati favere videri potuerit. Reclamatum est, non ab uno vel altero, sed ab omnibus Episcopis Occidentalibus. Ex omnibus Occidentis partibus expostulatoriæ litteræ Romam cateruatim venerunt.

Ad 3. part. prob. R. perperam hoc dici de tribus illis Patriarchatibus Orientis, cum nequidem probari

possit de solo patriarchatu Constantinopolitano. Nam 1. quomodo ab hujus patriarchatus Episcopis recipi potuit sedente Sergio, aut ante successoris ejus Pyrrhi abdicacionem; cum neque à Sergio, neque à Pyrrho, antequam abdicaretur, publicata fuerit?

2. Si ab hujus patriarchatus Episcopis expressè recepta fuit Honorii epistola, certe & maxime in Synodis, quas ad stabilendam suam hæresim egerunt Sergius & Pyrrhus, At hoc dici non potest; cum in Synodis illis de epistola Honorii altum fuerit silentium.

3. Quomodo dici potest, supponendo epistola Honorii confirmari Monothelitarum errorem, vel saltem huic errori epistolam illam favere, quomodo, inquam, dici potest eam expressè aut etiam tacitè receptam fuisse à patriarchatu Constantinopolitano; cum ab omnibus fermè hujus patriarchatus Episcopis sub Sergio & Pyrrho rejecta fuerit Ecclésiæ, ed quoddam unicam, nempe divinam, in Christo voluntatem diceret, & unam vel duas operationes dici prohiberet?

At inquit, Quinimodò ab Episcopis patriarchatus Constantinopolitani Ecclésiæ recepta fuit, & subscripta in Synodis Sergii & Pyrrhi. Ad solutionem hujus instantiæ audiamus S. Maximum in sua ad Petrum illustrem epistola, de Synodis illis ita loquentem, tom. 5. Conc. pag. 1766. *Synodus latrociniales (egerunt) & concursus Episcoporum non voto convenientium, sed violentia contrahentium, non exhortatione properantium, sed ex fuga barbarorum peregrè proficiscentium.*

R. Igitur, in Synodis illis paucos adfuisse Episcopos Constantinopolitani patriarchatus, & quidem ad veniendum vi coactos, quibuscum etiam casu fortuito adfuerunt peregrini aliqui Episcopi, Unde à paucis Episcopis, partim vi, partim dolo recepta & subscripta est Ecclésiæ in Synodis illis. Quo pertinet illud, quod Theodorus Joannis IV. successor, in sua ad Paulum Constantinopolitanæ Sedis invalorem epistola dicit de Pyrrho, tom. 5. Conc. pag. 1779. *Furtivis surreptionibus quosdam sacerdotes apud se singularim prædictam chartam (Ecclésiæ) roborare coegit.* Quoddam si Pyrrhus aliquorum tantum Episcoporum subscriptionem surripere potuit, cum jam aliquantum saltem oportuit Monothelismum adolevisse, quantum Sergius furari potuerat subscriptionem, cum tunc vix natus esset Monothelismus, aut certe vagiret adhuc in incunabulis?

Præterea maximum in patriarchatu Constantinopolitano fuisse numerum Episcoporum illorum, qui Sergio & Pyrrho foriter restiterunt, & Ecclésiæ damnarunt, conjicere licet ex eo, quod S. Maximus loco proxime citato subjicit. *Deinde, inquit, iussiones & minas (excogitarunt) huc atque illuc adversus pios transmissas.* Nam per pios illos, adversus quos iussiones & minæ huc atque illuc transmittebantur, proculdubio intelligit Episcopos, qui Sergio & Pyrrho consentire, & Ecclésiæ subscribere renuebant.

Ex dictis apparet, quanta temeritate dicatur, quoddam tres patriarchatus Orientis, Constantinopolitanus, Alexandrinus, & Antiochenus, Ecclésiæ, & Honorii epistolæ in sensu Ecclésiæ intellectæ, expressè consenserint; cum hoc vel de uno Constantinopolitano, in quo tamen duo patriarchæ Monothelitarum antesignani, Heraclio illis in omnibus obsequente, totis viribus pro Monothelismo decertarunt, non nisi temerè & falsò asseri posset.

Ad 4. deusque part. prob. R. 1. neg. quod Sophronius reclamavit contra epistolam Honorii; cum enim Honorii epistola in latebris manserit apud Sergium, ad Sophronii notitiam venire non potuit; atque ita contra illam reclamare non potuit. Reclamavit quidem Sophronius, sed contra septimum Cyri Alexandrini capitulum, quo una tantum Christi asseriebatur operatio, contra Ecclésiæ à Sergio sub Imperatoris nomine promulgatam; uno verbo, contra insurgentem Monothelitarum hæresim, ut patet ex libello, quem ex Sophronii mandato & persona Stephanus Dorentis Episcopus obtulit Martino Pontifici in Lateranen-

ranensi Concilio, ab eodem Pontifice in causa Monothelitarum convocato; obtulit, inquam, nulla prorsus Honorii mentione facta, contra Theodorum Pharanitanum, Cyrum Alexandrinum, Sergium Constantinopolitanum, & ejus successores, Pyrrhum & Paulum: quia Apollinaris & Severi dogmata hereticorum renovare ausi sunt, per hoc quod predicaverunt unam voluntatem & operationem divinitatis & humanitatis Christi, ut eorum scripta testantur.

Ex hoc autem aperte colligitur, aut Honorii ad Sergium epistolam à Sophronio, Stephano, aliisque Episcopis Palæstinis prorsus ignoratam fuisse, aut certe alienam à Monothelitarum hæresi ab illis fuisse judicatam. Quod confirmari potest, 1. ex Sophronii verbis ad Stephanum directis: *De finibus, inquit, terra ad terminos ejus deambula, donec ad Apostolicam Sedem, ubi orthodoxorum dogmatum fundamenta existunt, pervenias ... & non quiescas ... exorans eos, donec ex Apostolica prudentia ... noviter introductorum dogmatum perfectam faciant secundum canones destructionem*. Sicne, quælo, Sophronius loqueretur, postquam novissime contra Romanum aliquem Pontificem tanquam Monothelismi promotorem vel fauctorem reclamasset?

2. Ex verbis Stephani: *Ipse (Petrus) præcipue ac specialiter firmam præ omnibus habens in Dominum Deum nostrum & immutabilem fidem, convertere aliquando & confirmare consortes suos & spirituales meruit fratres*. Hic manifestè Stephanus in persona B. Petri successorum ejus Romanorum Pontificum commendat fidem, & prærogativam fideles omnes etiam difficillimis temporibus in vera fide confirmandi, eis à Christo collatam. At qua fronte hoc facit, si nuper adversus Honorium tanquam temerarie veritatis catholicæ reum reclamare eum aliis orthodoxis Episcopis coactus est?

Resp. 2. Dato quòd Honorius in sua ad Sergium epistola Monothelitarum hæresim docuerit, & quòd Sergius in toto Oriente vulgaritè hanc epistolam, atque contra eam ut hæresim reclamavit Sophronius, dicere quòd solus in Oriente reclamavit, enorme mendacium est: nam iidem profectò in facta suppositione contra illam reclamaverunt, qui reclamaverunt contra Ecthesim, & insurgentem Monothelitarum hæresim. Atqui totus Oriens, imò totus Orbis Christianus, contra Ecthesim, & insurgentem Monothelitarum hæresim reclamavit, ut expressè testatur S. Maximus in sua ad Petrum illustrem epistola, ubi sic ait, to. 5. Conc. pag. 1767. *Quæ hos (Sergium & Pyrrhum) non rogavit Ecclesiæ? Quis pius & orthodoxus non supplicavit Antistes, cessare illos à propria hæresi, clamando & obtestando? ... Nonne Oriens totus & Occidens lacrymas, lamenta, obsecrationes, & deprecationes ex æquo tam Deo per orationes, quam his per epistolas afferebant?*

Idem testatur Martinus I. in sua ad Constantem Imperatorem epistola. Quocirca, inquit, tom. 6. Conc. pag. 7. *omnium ferè piorum sacerdotum & populorum contra eos (Syrum, Sergium, &c.) clamores Apostolica Sedes accipiens, orantium atque obtestantium ne usque in finem catholicam Ecclesiam ab ipsis in periculum adductam negligamus, sed exurgamus acriter, & immaculatam christianam fidem, &c.* Idem etiam testatur saltem pro toto Occidente Joannes IV. in apologia Honorii, verbis supra relatis.

Idem denique suaderi potest ex variis Synodis, quibus damnata est nascens hæresis, videlicet Hierosolymitana sub Sophronio, Cypria sub Sergio Insulæ metropolitana, Aurelianensis in Gallia; tribus Romanis, sub Joanne IV. Theodoro, & Martino I. quatuor Africanis, Carthagenensi, Numidica, Mauritania, & Byzantena.

Dices. Nulla ex Synodis illis reclamavit contra Honorii epistolam, quam tamen saltem ex eis multæ ignorare non potuerunt. R. quòd hic tantum intendimus, & quòd nobis sufficit, Synodos illas omnes contra unius voluntatis & operationis errorem reclamasse, eumque damnasse.

Proponitur obiectio contra II. propositionem, & solvitur.

O Bj. Gratis & perperam dictum est, quòd iudicium in materia fidei à Romano Pontifice latum extra Concilium generale, possit esse finale & ir retractabile iudicium, independentè ab omni consensu pluralitatis Episcoporum orbe dispersorum. Ergo, &c. R. neg. ant. cujus falsitas, quanta fieri poterit brevitate, sequentibus propositionibus demonstrabitur.

## PROPOSITIO I.

Sedes Apostolica in fide errare non potest.

Ita semper senserunt orthodoxi omnes. Hinc sæculo septimo Synodus Cypria sub Sergio metropolita, Theodorum Papam in sua ad eum synodica epistola sic alloquebatur: *Firmamentum à Deo fixum & immobile, atque tituli formam lucidissimam fidei vestram Apostolicam Sedem constituit, o sacer vertex, Christus Deus noster*. Præterea, hanc propositionem probant ea omnia, quæ à nobis suis locis allata pro infallibilitate particularis Ecclesiæ Romanæ.

## PROPOSITIO II.

Sedes Apostolica est omnium fidei controversiarum iudex.

Probatur 1. ex perpetua & constanti Ecclesiæ praxi: omnibus enim retro sæculis lites in materia fidei exortæ, delatæ fuerunt ad Sedem Apostolicam, ut de illis sententiam proferret. 2. Ex cap. *Majores*, extra de bapt. ubi dicitur: *Majores Ecclesiæ causas, præsertim articulos fidei contingentes, ad Petri Sedem referendas intelligit, qui novit pro Domino exorasse, ne deficiat fides ejus*.

## PROPOSITIO III.

Sedes Apostolica est omnium fidei controversiarum iudex infallibilis.

Prob. 1. Est iudex omnium fidei controversiarum (ex 2. Prop.) 2. Est infallibilis iudex: alioquin potest errare in fide. At non potest (ex 1. Prop.) Hinc S. Bernardus scribens ad Innocentium II. sic agebat: *Oportet ad vestrum referri apostolatum pericula quæque, & scandala regni Dei: ea præsertim quæ de fide contingunt. Dignum namque arbitror, ibi potissimum refarciri damna fidei, ubi non possit fides sentire defectum*.

## PROPOSITIO IV.

Omne Sedis Apostolicæ iudicium in materia fidei est infallibiliter verum & rectum.

Prob. Omne iudicium, quod fertur à iudice infallibili, est infallibiliter verum & rectum, ut patet ex terminis. Atqui omne Sedis Apostolicæ iudicium in materia fidei fertur à iudice infallibili (ex 3. Prop.) Ergo, &c.

## PROPOSITIO V.

Particularis Ecclesiæ Romana separatiim à Romano Pontifice non est Sedes Apostolica adæquatè sumpta.

Prob. In Sede Apostolica adæquatè sumpta, reperitur & quidem jure divino auctoritas ferendi sententiam de controversiis fidei (ex 2. Prop.) & non reperitur in particulari Ecclesiæ Romana, sumpta separatiim à Romano Pontifice: in qualibet enim particulari Ecclesiæ auctoritas ferendi sententiam fidei controversiis penes est solum Episcopum. Ergo, &c.

## PROPOSITIO VI.

Particularis Ecclesiæ Romana cum Romano Pontifice est Sedes Apostolica adæquatè sumpta, seu, quòd idem est, est simpliciter Sedes Apostolica.

Prob. Nam Sedes Apostolica adæquatè sumpta, vel est particularis Ecclesiæ Romana separatiim à Romano Pontifice, vel particulari Ecclesiæ Romana cum Romano Pontifice, ut patet ex terminis. Non primum (ex 5. Prop.) Ergo secundum. Quòd confirmatur ex

eo quòd quinegant personalem infallibilitatem Romani Pontificis, illud Christi, *Rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua*, cadere velint in Sedem Apostolicam, quod esse non potest nisi Petri successores sint de Sede Apostolica, ut per se clarum est.

## PROPOSITIO VII.

Judicium in materia fidei à Romano Pontifice latum, conscia & acquiescente Ecclesia particulari Romana, est judicium Sedis Apostolicæ.

*Prob.* Quia si judicium illud non est judicium Sedis Apostolicæ, vel quia non fertur ab aliquo, qui sit de Sede Apostolica. At hoc est falsum: nam Sedes Apostolica est corpus quoddam morale, cujus Romanus Pontifex præcipuum membrum est & caput ut apertè sequitur ex Prop. 6, vel quia fertur à Pontifice, & non ab aliquo alio. At hoc dici non potest: quia in Sede Apostolica non est alius qui possit judicium illud ferre, ut constat ex dictis in prob. Prop. 5. Vel denique quia deest aliquod ex parte reliquorum membrorum Sedis Apostolicæ, seu, quod idem est, ex parte particularis Ecclesiæ Romanæ. At neque hoc dici potest: cum enim in particulari Ecclesia Romana, præcisè à Romano Pontifice, nullus habeat jus ferendi sententiam de controversia fidei, ad hoc ut judicium quod de controversia fidei fertur à Romano Pontifice, Sedis Apostolicæ membro præcipuo & capite, & in quo solo jure divino residet auctoritas proferendi de fidei controversia sententiam, censetur judicium Sedis Apostolicæ, ex parte particularis Ecclesiæ Romanæ nihil aliud requiri posse manifestum est, quàm ut ea conscia & consentiente, judicium illud feratur. Ergo, &c.

## PROPOSITIO VIII.

Judicium in materia fidei lato à Romano Pontifice, consulto & consentiente collegio Cardinalium Romanæ degentium, est judicium Sedis Apostolicæ.

*Prob.* Judicium in materia fidei latum à Romano Pontifice, consulto & consentiente Ecclesia particulari Romana, est judicium Sedis Apostolicæ (ex 7. Prop.) Atqui Ecclesia particularis Romana in ordine ad judicia Ecclesiastica repræsentatur per collegium Cardinalium Romanæ degentium: sicut v. gr. universalis Ecclesia repræsentatur per Concilium generale. Ergo, &c.

## PROPOSITIO IX.

Judicium in materia fidei latum à Romano Pontifice, consulto & consentiente collegio Cardinalium Romanæ degentium, est infallibiliter verum & rectum.

*Prob.* Nam hoc judicium est judicium Sedis Apostolicæ (ex 8. Prop.) Atqui omne Sedis Apostolicæ judicium in materia fidei est infallibiliter verum & rectum (ex 4. Prop.) Ergo, &c.

## PROPOSITIO X.

Judicium in materia fidei latum à Romano Pontifice, consulto & consentiente collegio Cardinalium Romanæ degentium, est judicium finale & irrevocabile.

*Prob.* Nam hoc judicium est infallibiliter verum & rectum (ex 9. Prop.) item est judicium Sedis Apostolicæ (ex 8. Prop.) adeoque judicium primæ Sedis & Ecclesiæ principalis. Atqui judicium infallibiliter verum & rectum, à prima Sede & Ecclesia principali, quæ fidelium omnium mater est & magistra, latum, retractari, nefas esse nemo non videt. Ergo, &c.

## ARTICULUS V.

*Solvitur obiectio petita ex epistola S. Leonis ad Flavianum.*

**O**bj. Si judicium Sedis Apostolicæ in materia fidei est infallibiliter verum & rectum, adeoque finale & irrevocabile, quare v. g. S. Leo tanto studio laboravit, ut ea, quam ad Flavianum Constantinopoli-

num scripserat, hoc est, ut judicium, quod de impio Eutychemis doctrina consulto, & consentiente Clero Romano, tulerat, ab omnibus tum Occidentalibus, tum Orientalibus Episcopis orthodoxis subscriberetur? R. S. Leonem ad id laborasse, ut auctoritati Sedis Apostolicæ accederet auctoritas corporis pastoralis, atque ita per utriusque auctoritatis concursum facilius frangeretur hæreticorum contumacia, pseudo-synodi Ephesinæ, à Dioscoro Alexandrino celebratæ, quæ à multis, ut generales venditabatur, existimata auctoritas elideretur, sicque fideles magis ac magis in recta fide confirmarentur.

*Dices.* Si jam finita erat causa Eutychemis per judicium Sedis Apostolicæ, quid opus fuit Episcopos toto Orbe dispersos subscribere? *Resp.* Ut subscriberent non quidem opus fuisse ad finiendam Eutychemis causam, cum jam esset finita, & irrevocabiliter finita, sed ad illud, quo sic finita erat, judicium Sedis Apostolicæ corporis pastoralis auctoritate firmandum, atque hoc pacto facilius obstruendum hos hæreticis, præsentiam lærocini Ephesini auctoritatem veritati catholicae opponentibus.

*Dices.* Si jam finita erat causa Eutychemis per judicium Sedis Apostolicæ, saltem opus non erat, Episcopos subscribere ut judices. *Resp.* Episcopos subscribere potuisse ut judices, cum Episcopi jure divino sint judices controversiarum in materia fidei, quo jure non privantur, nec privari possunt per Sedis Apostolicæ judicium, quantumvis per illud causa irrevocabiliter finiatur. *Resp.* 2. Episcopos, cum judicio Sedis Apostolicæ subscripserunt ut judices, non subscripserunt, ut judices orthodoxi ipsius judicii Apostolici, sed subscripserunt ut judices doctrinæ Eutychemis, de qua latum erat judicium Apostolicum. *Resp.* 3. Episcopos ut judices Sedis Apostolicæ judicio subscribere, ad id opus fuisse, ut Eutychemis impietas, sententia Sedis Apostolicæ damnata, damnaretur etiam sententia corporis pastoralis, sicque duplici judicio, quorum alterum seorsum ad finiendam causam sufficere poterat, veluti gladio duplici confossa mala illa bestia promptius & facilius enecaretur.

*Dices.* S. Leonis epistola examinata fuit, & retractata in Synodo Chalcedonensi. Ergo illic, antequam confirmaretur à Synodo, habita non fuit ut judicium infallibiliter verum & rectum. *Resp.* neg. ant. cujus falsitas ex ipsius Synodi actis faciliè demonstratur. Nam actione 2. judicibus, qui nomine Imperatoris aderant, postulantis, ut Episcopi novam fidei professionem concinnent, quæ ab omnibus recepta, lites omnes finiat, respondet Cæcropsius Episcopus his verbis: *Emerserunt quæ ad Eutychemem pertinebant; & super iis forma data est à sanctissimo Archiepiscopo Romane Urbis, & sequimur eum, & epistola omnes subscripsimus: Tum Cæcropsio sic respondenti quotquot aderant Episcopi orthodoxi, concinnunt in hunc modum: Ista omnes dicimus. Sufficiunt quæ exposita sunt: alteram expositionem non licet fieri.* Cum autem nihilominus judices instarent petitioni suæ, *reverendissimi Episcopi (orthodoxi) clamaverunt: In scriptis expositionem non facimus. Regula est, quæ prædicat sufficere quæ sunt exposita Regula vult aliam expositionem non fieri: ea quæ sunt Patrum teneantur.*

Ex his porro apparet omnes Episcopos, qui aderant, & soli tunc Synodum constituebant, Leonis epistolam subscripsisse ante celebrationem Synodi. At quòd postquam subscriptione sua eam firmarant, eam retractari, & de ejus orthodoxia questionem institui voluerint, prorsus incredibile est, & Synodo injuriosum. Præterea, expressè declararunt nova fidei expositione, qua scilicet cum cæteris fidei articulis quid circa controversiam Flavianum inter & Eutychem exortam tenendum esset exponeretur, opus non esse, & Ecclesiæ sufficere duo Symbola, Nicanum & Constantinopolitanum, cum epistola Leonis, in qua de Eutychemis doctrina sententiam protulerat, & proferendo litem finierat Sedes Apostolica.

Jam igitur ante celebrationem Synodi, Episcopi omnes orthodoxi, qui aderant, ut certam & exploratam

tam tenebant orthodoxiam epistolæ Leonis: hanc epistolam eodem, quo duo Symbola, Nicænum & Constantinopolitanum, loco habebant; fideique in duobus Symbolis & hac epistola, sufficientissimam fidei suæ regulam habere judicabant, æque superfluum esse novam Eutycheis causæ retractationem, postquam hæc causa finita erat irrefragabili judicio à Sede Apostolica prolato, & Episcoporum subscriptionibus firmato. Quod autem nihilominus Leonis epistolam postea retractarint, & examini subjecerint, tam absurdè dicuntur, quam si dicerentur retractasse, & examini subjecisse duo Symbola, Nicænum scilicet & Constantinopolitanum.

*At inquit.* Nihilominus in Synodo relecta fuit Leonis epistola, R. non aliter nec alia intentione hanc epistolam in Synodo relectam fuisse, quam ibidem relecta fuerunt duo Symbola; Nicænum & Constantinopolitanum, ut patet ex Cecropii verbis: sic enim, omnibus audientibus, & silentio suo consentientibus, locutus est; *Fides bene disceptata est à trecentis decem & octo sanctis Patribus, & nunc iterum per sanctissimum Leonem: & precamur, ut ea qua sanctorum Patrum trecentorum decem & octo sunt, & qua sanctissimi Leonis, recitentur.*

Itaque ante celebrationem Synodi, Episcopis omnibus orthodoxis, qui aderant, tam explorata erat orthodoxia epistolæ Leonis, quam orthodoxia Symboli Nicæni: neque petiturum est, ut coram Synodo legeretur epistola Leonis ad explorandam ejus orthodoxiam: sicut nec petiturum est, ut Sybolum Nicænum legeretur ad ejus orthodoxiam explorandam. Item sicut in Synodo Nicænum Symbolum lectum est, ut orthodoxa fidei expositio, quam sequi fideles omnes tenerentur; ita & lecta est in Synodo epistola Leonis, ut orthodoxa fidei regula, quam sequi tenerentur fideles omnes. Unde omnes orthodoxi Episcopi eodem modo acclamantur Leonis epistolam, cum Symbolo Nicæno. Hoc lecto Symbolo, *Episcopi clamaverunt: Hæc catholicorum fides: huic omnes credimus.* Similiter lecta Leonis epistola, *Episcopi clamaverunt: Hæc Patrum fides, hæc Apostolorum fides omnes ita credimus, orthodoxi ita credunt; anathema ei, qui ita non credit.*

*Amplius.* Coram lecta sunt duo Symbola cum epistola Leonis, non examinandi gratia hanc epistolam, sicut nec Symbola illa; sed ut fidem in illis expositam palam profitentes Episcopi, publica sua professione veritatem catholicam confirmarent. Nec dicenda esse Symbola, ut cum illis conferretur Leonis epistola, & hac Leonis epistolæ cum Symbolis collatione ejus orthodoxia exploraretur: hoc enim falsum esse, aperte ostenditur ex eo quod lecto Symbolo Nicæno, & nondum lecta Leonis epistola, adeoque ante collationem hujus epistolæ cum Symbolo, *Episcopi clamaverunt: Hæc Catholicorum fides... hæc sempiterna fides: in hac baptizati sumus; in hac baptizamus: omnes sic credimus: Papa Leo sic credit... Papa Leo ita interpretatus est.* Episcopi igitur antequam Leonis epistola legeretur, ejus orthodoxiam palam laudaverunt, & attestati sunt, proindeque epistolam illam post Symbola lectam esse, ut cum illis conferretur, & hac collatione ejus orthodoxia, tanquam dubia adhuc & incerta, exploraretur, sine manifesta falsitate & absurditate dici non potest.

*At inquit.* Lecta in Synodo Leonis epistola, de ejus orthodoxia dubitarunt Illyriciani & Palæstini Episcopi; inducias dierum aliquot petierunt, ut loca illa epistolæ, quæ ipsis suspecta videbantur & ambigua, diligentius inspicerent, & expendere; quinque dierum inducias illis concessere iudices, quo toto tempore apud Anatolium Patriarcham convenerunt, nec epistolam receperunt ut ex omni parte orthodoxam, nisi postquam, adhibita diligenti inquisitione, omnem suam dubitationem deposuerunt. Ergo cum actione 2. lecta est Leonis epistola, nondum certa erat & indubitata ejus orthodoxia, adeoque eo sine post Symbola lecta est, ut cum illis conferretur, & ex hac collatione ejus orthodoxia vel heterodoxia innotesceret;

alioquin Episcopi illi, qui dubitarunt, non impune dubitassent, sed vel statim deposita omni dubitatione, ceteris acquievisserent, vel certe tanquam ichilmatici & hæretici rejecti fuissent à Synodo.

R. neg. conseq. cujus falsitas ostenditur ex sensu totius Synodi: Episcopis enim illis dubitantibus, & inducias ad instruendum sese sibi dari postulantibus, *omnes Episcopi clamaverunt: Nos ita credimus; omnes ita credimus: sicut Leo, ita credimus: nostrum nullus dubitat: nos jam subscripsimus.* Nullus igitur ex orthodoxis Episcopis qui aderant, & ex quibus constabat Synodus, tunc dubitabat, nulli tunc ex illis perspecta non erat orthodoxia epistolæ Leonis, & jam dudum eam subscripserant omnes. Episcopi autem illi Illyriciani & Palæstini, qui dubitarunt, erant Dioscuro addicti, & ejusdem cum eo conjurationis. At ex eo quod hæretica factionis Episcopi de Leonis epistolæ orthodoxia dubitarint, eo præsertim tempore quo à catholicis Episcopis omnibus epistola illa jam erat suscepta, & subscriptione confirmata; ex eo, inquam quod hæretica factionis Episcopi tunc dubitarint de Leonis epistolæ orthodoxia, hanc adhuc dubiam fuisse & incertam, concludere velle & iniquum est & absurdum. His autem dubitantibus Episcopis, & ob dubitationem anathemate dignis, ex indulgentia & sapienti æconomia, paucorum dierum inducia concessæ sunt, ut si fieri posset, instructi ad sanioerem redirent mentem, & ad rectam fidem converterentur.

*At inquit.* Actione 4. Episcopi sententiam protulerunt de orthodoxia epistolæ Leonis, nec certe protulerunt, nisi præmissa sufficienti examine. Ergo dicendum est hanc epistolam actione 2. examinatam fuisse. R. 1. tunc Leonis epistolæ orthodoxiam minime controversam fuisse, sed certam & exploratam catholicis omnibus. Unde cum rogantibus iudicibus, quod jam constabat ante Synodum, Leonis videlicet epistolam duobus Symbolis consonam esse, declararunt, hoc declarando, de ejus orthodoxia sententiam tulisse, non magis dici possunt, quam si pariter rogati, Symbolum v. g. Nicænum, Scripturæ & Patrum traditioni consonum esse declarassent, dici possent de ejus orthodoxia tulisse sententiam.

R. 2. neg. conseq. Nam iidem Episcopi asserunt se subscripsisse epistolam propter ejus consonantiam cum duobus Symbolis. At subscripserant ante Synodum. Ergo jam ante Synodum consonantia epistolæ cum duobus Symbolis erat Episcopis illis exploratissima, adeoque perperam & absurdè dicuntur epistolæ orthodoxiam examini subjecisse in Synodo.

*At inquit.* Si tunc ita constans erat orthodoxia epistolæ Leonis, ut eam in dubium revocari nefas esset, ad quid utilis esse potuit illius declaratio facta ab Episcopis in Synodo? R. ad firmendam inter Episcopos in hoc puncto concordiam, ad convincendos eos, qui de infallibili in decidendis fidei controversiis auctoritate Sedis Apostolicæ pro more hæreticorum ambigerent: ad frangendam contumaciam Eutychanorum qui Sedis Apostolicæ judicio sese submittere pertinaciter renuebant: cum enim Symbolo Nicæno sese adherere profiterentur, epistolæ Leonis consonantiam cum hoc Symbolo à generali Synodo solemniter atque unanimiter declarata, quid expectare poterant amplius, ut suam deponerent hæresim? aut quo prætextu poterant judicio Apostolico nolle acquiescere? Et verò dato quod post Sedis Apostolicæ sententiam, qua damnabatur eorum hæresis, expectare potuerint judicium Synodi generalis, post Synodi generalis Sedi Apostolicæ consentientis judicium, quodnam superfluit illis tribunal, ad quod possent confugere?

*At inquit.* Ipse Leo in sua ad Theodoretum epistola expressè agnoscit suam ad Flavianum epistolam retractari potuisse. Ergo, &c. *Prob. ant.* Nam sic loquitur: *Gloriamur in Domino... qui nullam nos in nostris fratribus detrimentum sustinere permisit: sed qua nostro prius ministerio definitur, universæ fraternitatis irrefragabili firmavit assensu.* R. neg. ant. *Ad prob. R. S. Leonem,* cum assensum epistolæ suæ à Chalcedo-

cedonensi Synodo datum, irrefractabilem vocat, non ad epistolam suam alludere, sed ad secundam pseudo-Synodum Ephesinam, in qua omnia per vim & contra Ecclesiae canonem gesta fuerant; unde ejus acta, quantumvis ipsa supponatur fuisse generalis, fuerunt retractationi obnoxia, jureque merito in Chalcedonensi Synodo retractata fuerunt atque rescissa. E contra verò cum omnia, quae ad fidem attinebant, in Synodo Chalcedonensi oecumenica conciliariter & secundum regulas Ecclesiasticas tractata fuerint, retractationi obnoxia esse non possunt, eaque retractari nefas esset. Rectè igitur S. Leo assensum epistolae suae à Chalcedonensi datum, vocat irrefractabilem.

Bonitas hujus responsionis patet ex contextu: cum enim S. Leo irrefractabilem vocat assensum Synodi Chalcedonensis, alludit proculdubio ad id, ad quod alludit, cum ait, Dominum non permisisse, ut detrimentum aliquod sustineret in fratribus. At cum hoc dicit, manifestè alludit ad pseudo-Synodum Ephesinam, in qua Sedi Apostolicae injuria gravis, eaque multiplex, illata est: ibi enim epistola Leonis rejecta fuit à Dioscuro, legati Apostolici Synodi praesidentia frustrati, clam se subducere & fugere coacti sunt, ipsum denique Leonem ausu temerario & nunquam audito exautorare praesumpsit Dioscorus. E contra verò in Chalcedonensi Synodo Sedi Apostolicae honos omnis habitus est; praesuerunt, & Synodum rexerunt Legati Apostolici; Leonis epistola cum debita reverentia, & definitione fidei, *tanquam communis quaedam columna existens adversus perversè sentientes, ad confirmationem rectorum dogmatum suscepta fuit*, imò ipsius definitionis fidei normam fuisse, manifestè arguitur ex eo quòd, Legatis Apostolicis id procurantibus, haec fidei definitio ex illa reconcinnata fuerit, &c.

At inquit denique. Epistola Leonis actione 2. lecta fuit. Ergo examinata fuit & retractata. *Resp. neg. conseq.* Nam v. gr. ibi lectum fuit Symbolum Nicaenum, nec tamen idcirco dici potest examinatum & retractatum. Ratio est, quia in materia fidei non retractatur nisi id de cuius orthodoxia ambigitur, aut certè de cuius orthodoxia nondum planè constat. Quando autem lecta est Leonis epistola, tunc orthodoxis Episcopis, qui aderant, tam constabat de orthodoxia epistolae Leonis, quam de orthodoxia Symbolorum, de qua planè eis constituisse dubium esse non potest. Sicut itaque tunc lectum est Symbolum Nicaenum, nec tamen idcirco dici potest esse retractatum, quia lectum est ut indubitata fidei regula; ita pariter epistola Leonis lecta est, nec tamen idcirco dici potest esse retractata, quia lecta est ut fidei definitio indubitata vera, & prioribus fidei regulis indubitata consona.

Dices. Hic defenditur personalis infallibilitas Romani Pontificis. *Resp.* Hic neque defendere, neque impugnare intendimus hanc infallibilitatem: hic enim solum defendimus infallibilitatem Sedis Apostolicae, adeoque hic solum defendimus infallibilitatem, cujus subjectum est Sedes Apostolica: quare cum Sedes Apostolica, adeoque seu simpliciter sumpta, sit Romanus Pontifex cum particulari Ecclesia Romana, infallibilitas illa, quam hic defendimus, neque in Romano Pontifice separatim ab Ecclesia particulari Romana, neque in Ecclesia particulari Romana separatim à Romano Pontifice residet, sed in corpore seu toto morali, resultante ex Romano Pontifice, ut capite, & Ecclesia Romana particulari, tanquam membris capiti subjectis & unitis.

Hac porro infallibilitas fundatur in speciali, & supposita institutione Christi, infufragabili assistentia, qua Spiritus Sanctus ita assistit Romano Pontifici, & particulari Ecclesiae Romanae, ut ex Romani Pontificis definitis, & particularis Ecclesiae Romanae Pontifici definitis consentientis concursu, prodire non possit nisi iudicium in materia fidei Scripturae divinae & traditioni Apostolicae planè consonum, & cui proinde fideles omnes teneantur acquiescere.

## ARTICULUS VI.

*Utrum detur in Ecclesia infallibilis auctoritas decidendi controversias, quae de orthodoxia & heterodoxia textuum dogmaticorum exoriuntur.*

**N**ota. Textus dogmaticus dicitur ille, qui dogma unum vel multiplex, sive verum sive falsum exprimit: unde dividitur in orthodoxum & heterodoxum. Orthodoxus dicitur ille, qui exprimit verum dogma: heterodoxus verò, qui falsum dogma exprimit. Primus veritatem fidei unam vel multiplicem affirmat, alter verò negat. Primus verbo Dei scripto vel non scripto consentaneus est, alter verò dissentaneus.

## RESPONSIO I.

Datur in Ecclesia auctoritas decidendi controversias, quae circa textuum dogmaticorum orthodoxiam & heterodoxiam exoriuntur.

*Prob. 1.* Ex praxi Ecclesiae: nam Ecclesia saepenumero de textuum dogmaticorum orthodoxia & heterodoxia sententiam tulit, alios scilicet ut orthodoxos approbando, alios verò reprobando ut heterodoxos. Ergo vel datur in Ecclesia auctoritas decidendi, &c. vel Ecclesia saepenumero sibi falsè & temerè attribuit auctoritatem aliquam, quam à Christo non accepit. Hoc autem secundum dici non potest, certè dicit nemo, qui catholicus esse velit. Ergo ipsa datur in Ecclesia auctoritas decidendi, &c.

*Prob. 2.* Quia si non daretur in Ecclesia auctoritas decidendi, &c. Christus Ecclesiae malè providisset. Falsum & impium consequens. Ergo, &c. *Prob. seq. maj.* Nam controversiae, quae saepenumero circa textuum dogmaticorum orthodoxiam vel heterodoxiam exoriuntur, nunquam possent finire, & sic aeternum durarent cum ingenti fidelium perturbatione & scandalo. Pravi interea homines, & haeretici, vel occulti, vel etiam manifesti, impune libros orthodoxos tanquam heterodoxos traducerent; & e contra libros heterodoxos velut orthodoxos vendiderent, & spargerent in vulgus fidelium cum eminenti periculo everisionis quamplurimorum. Sensim sine sensu grassaretur lues per gregem, tandemque totus fortasse inficeretur sub oculis pastorem, qui tanti mali spectatores otiosi, illud impedire minime valerent.

## RESPONSIO II.

Auctoritas decidendi controversias, quae exoriuntur circa textuum dogmaticorum orthodoxiam vel heterodoxiam, residet in pastoribus Ecclesiae.

*Prob.* Nam auctoritas decidendi, &c. residet in iis, quibus incumbit munus & obligatio regendi, & docendi fideles in iis quae ad fidem pertinent. Atqui munus hoc, haec obligatio incumbit pastoribus Ecclesiae. Ergo, &c. Minorem aliàs probavimus, & suadet ipsa vox pastoris: quamobrem enim Episcopi Ecclesiae pastores vocantur, nisi quia ad hoc Ecclesiae propositi sunt, ut fideles, qui sunt ovile Christi, pascant, illos regendo, & docendo in iis quae pertinent ad fidem & mores. Major videtur clara ex terminis: ad munus enim & obligationem regendi & docendi fideles in iis quae attinent ad fidem, manifestè pertinet textus orthodoxos ab heterodoxis discernere, heterodoxos quibus corrumpi potest legentium fides, proferbere, & à fidelium oculis submovere; orthodoxos verò, quibus legentium fides nutriri & confirmari potest, fidelibus proponere.

## RESPONSIO III.

Datur in Ecclesia infallibilis auctoritas decidendi controversias, quae exoriuntur circa orthodoxiam & heterodoxiam textuum dogmaticorum; & haec infallibilis auctoritas residet saltem in corpore pastorali.

*Prob. 1.* Itaque corpus pastorale habet auctoritatem docendi fideles in iis quae ad fidem pertinent, juxta illud Christi Matth. cap. ult. *Docete omnes gentes*; quae verba Apostolis, & in persona Apostolorum corpori pasto-

pastorali dicta fuerunt. Atqui fideles, in iis quæ ad fidem pertinent, docendi munus est, textus orthodoxos ab heterodoxis discernere, heterodoxos reprobare, & approbare orthodoxos, ut jam dictum est; atque ita fideles, qui sunt oves Christi, à venenatis pascuis, ut sic loquar, arcere, & ad sana deducere. Ergo, &c. 2. Corpus pastorale habet infallibilem auctoritatem docendi fideles in iis quæ pertinent ad fidem. In quo videtur esse maior difficultas, & quod multiplici proinde argumento hic à nobis demonstrandum est.

Primum argumentum petitur ab illis Christi verbis Matth. cap. 28. *Docete omnes gentes . . . . Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi*; Ex quibus verbis colligunt Doctores Catholici omnes, corpori pastorum promissam esse à Christo continuam & specialem assistentiam, vi cuius semper rectè docet, & impossibile est ut aliquando malè doceat fideles in rebus fidem spectantibus. Unde sic discuro, Si corpus pastorale potest falli decidendo contrariam aliquam de orthodoxia, vel heterodoxia textus dogmatici, potest malè docere in re fidem contingente. Atqui hoc non potest. Ergo, &c. Minor constat ex promissione Christi.

*Prob. seq. maj.* Nam si corpus pastorale re ipsa falleretur decidendo, &c. re ipsa malè doceret in re fidem contingente. Ergo si potest falli decidendo, &c. Conseq. patet. *Prob. ant.* Nam si corpus pastorale falleretur decidendo, &c. certè falleretur, quia vel textum orthodoxum reprobareret ut heterodoxum, vel textum heterodoxum reprobareret ut orthodoxum. Atqui per se manifestum est, quod alterutrum faciendo, malè doceret in re fidem contingente. Et verò textum orthodoxum reprobandum ut heterodoxum, exponeret fideles eminenti periculo verum dogma repudiandi ut dogma falsum; & textum heterodoxum approbandum ut orthodoxum, exponeret fideles eminenti periculo falsum dogma recipiendi ut dogma verum: imò in primo casu ad verum dogma rejiciendum, & in secundo casu ad falsum dogma suscipiendum fideles directè induceret. At nonne hoc est malè, imò pessimè docere? Ergo, &c.

Secundum argumentum sumitur ex his principiis. Primum est: Corpus pastorale falli non potest in decidendis controversiis, quæ circa ipsa fidei dogmata exoriuntur. Est de fide, quòd ultro agnoscunt etiam novatores, contra quos hic disputamus.

Secundum est: Corpus pastorale falli non potest in investigandis traditionibus Apostolicis, seu, quod idem est, in discernendis veris traditionibus à falsis: nam si hoc falleretur aliquando, veram traditionem ut spuriam rejiciendo, aut spuriam traditionem ut veram suscipiendo, tunc falleretur quoque in decidenda controversia circa dogma fidei exorta; tunc enim pro falso dogmate recipiendo sententiam ferret, quod est contra primum principium.

Tertium est: Corpus pastorale falli non potest in interpretandis symbolis & canonibus Conciliorum, decretis Sedis Apostolicæ, & orthodoxorum Patrum scriptis: cum enim his omnibus textibus utatur corpus pastorale ad investigandas traditiones Apostolicas, seu ad veras traditiones discernendas à falsis, si falli potest in horum textuum interpretatione, falli quoque posse in traditionum Apostolicarum investigatione & discretionem manifestè convincitur contra secundum principium. His autem principiis præsuppositis,

*Argumentor sic.* Ut corpus pastorale infallibile sit in decidendis controversiis & orthodoxia & heterodoxia quorumlibet textuum dogmaticorum, requiritur & sufficit ut infallibile sit in interpretandis textibus dogmaticis quibuslibet. Atqui corpus pastorale infallibile est in interpretandis textibus dogmaticis quibuslibet. Ergo, &c. Major per se manifesta est. Minor verò sequitur ex tertio principio: nam si in recensitis textibus interpretandis infallibilitatem habet corpus pastorale, quidni etiam habeat in interpretandis aliis quibuscumque textibus dogmaticis tam

orthodoxorum, quam heterodoxorum scriptorum? Est enim eadem ratio pro omnibus: cum corpus pastorale textus quoscumque dogmaticos tam orthodoxorum, quam heterodoxorum scriptorum consulere possit, ubi agitur de investigatione, & discretionem traditionum Apostolicarum; huic enim investigationi & discretioni ex textibus quibuslibet dogmaticis tam orthodoxorum, quam heterodoxorum scriptorum modò hi, modò illi inservire possunt.

Tertium argument. Corpus pastorale errare non potest in approbandis vel reprobandis symbolis & expositionibus fidei: alioquin cum non alia sunt prerogativa corporis pastoralis, & Concilii generalis, quo corpus pastorale representatur, Concilium generale errare potest in approbandis, vel reprobandis symbolis & expositionibus fidei. Hoc autem dici non potest: alioquin Symbolum Nicænum non est infallibiliter orthodoxum; neque Chalcedonenis expositio est infallibiliter orthodoxa: Symbolum enim Nicænum non à tota Synodo compositum fuit, sed ab uno Osio concinnatum, à reliquis Patribus receptum est & subscriptum. Similiter Chalcedonenis expositio contexta fuit non ab omnibus Episcopis, sed ab aliquibus tantum, qui ad id operis electi fuerant, & deinde à tota Synodo recepta in actione 5. atque subscripta in actione 6.

*Resumo.* Corpus pastorale errare non potest in approbandis vel reprobandis symbolis & expositionibus fidei, quæ sunt textus dogmatici. Ergo neque in ullis aliis quibuscumque approbandis vel reprobandis errare potest. *Prob. conf.* Nam corpus pastorale errare non potest in approbandis vel reprobandis symbolis & expositionibus fidei, quia si erraret, aut approbando symbolum heterodoxum, vel heterodoxam expositionem fidei, aut reprobandum symbolum orthodoxum, vel orthodoxam expositionem fidei, fideles in errorem induceret. Atqui pariter in errorem fideles induceret, errando circa alium quemlibet textum dogmaticum. Et verò an non in errorem induceret fideles, approbando textum Pelagii, & reprobandum textum Augustini; approbando textum Calvinii vel Lutheri, & reprobandum textum v. gr. Belarmini Pighii, &c. Ergo, &c.

Quartum argumentum petitur à Synodo generali Ephesina. Quod enim de Synodo generali dicitur, dicitur de corpore pastoralis, quod sive in Synodo generali, sive extra Synodum generalem semper iisdem gaudet prerogativis. In prima autem sessione Ephesinæ Synodi, 1. legitur Symbolum Nicænum, ut regula definitionis faciendæ: legitur enim, *ut sententiis ad fidei doctrinam spectantibus, cum ea expositione collatis, consentientes quidem confirmentur, dissidentes autem rejiciantur.*

2. Lecto symbolo, legitur epistola Cyrilli ad Nestorium, cujus exordium est: *Intelligo quosdam, &c.* Lecta epistola, & Cyrillo Patres rogante, ut de ea exponant sententiam suam, omnes ad unum Episcopi Symbolo Nicæno in omnibus consentientes esse, & sese cum illa sentire declarant.

3. Legitur epistola Nestorii ad Cyrillum, cujus exordium est: *Admirabilium litterarum, &c.* & ea lecta, atque Cyrillo Patres rogante, num Symbolo consonam esse judicent, postquam multi singillatim sententiam suam aperuerunt, & epistolam Symbolo consonam esse pronuntiarunt, exclamant simul omnes: *Quicumque Nestorio communicat, anathema sit. Omnes Nestorii epistolam, & dogma anathematizamus, &c.*

4. Leguntur septemdecim variorum Patrum testimonia, magna ex parte proluxa; & post illa, plurima etiam Nestorii loca, quibus perlectis, continuo profertur à Synodo adversus Nestorium sententia depositionis. Ex his autem omnibus apparet, decisionem controversiæ Cyrilli cum Nestorio, quæ erat controversia fidei, factam ab Ephesina Synodo, totam esse fundatam in collatione epistolarum Cyrilli & Nestorii cum Nicæno Symbolo; & Ephesinam Synodum non aliter controversiam hanc decidisse,

dise, quam interpretando utramque epistolam & unam, nempe epistolam Cyrilli, Symbolo consonam, & alteram, nempe epistolam Nestorii, eidem Symbolo dissonam pronuntiando. Ex his autem

*Argumentor sic.* Synodus Ephesina falli non potuit in decidenda controversia Nestorii cum Cyrillo: Synodus enim œcumenica falli non potest in decidenda fidei controversia. Ergo nec falli potuit in collatione epistolarum Cyrilli & Nestorii cum Symbolo Nicæno: cum enim Ephesina Synodus in hac collatione fundarit definitionem suam, & ædificium firmius esse repugnet, quam fundamentum quo nititur, si fallibilis fuit hæc collatio, definitionem quoque in ea fundatam, fallibilem fuisse necesse est. Ergo nec falli potuit in interpretatione epistolarum illarum, sicut nec potuit in interpretatione Symboli: cum enim collatio supponat interpretationem, si Synodus fallibilis fuit in interpretationibus epistolarum illarum & Symboli, vel si etiam fallibilis fuit tantum in interpretatione epistolarum illarum, non potuisse in collatione epistolarum illarum cum symbolo non esse fallibilis, manifestè convincitur. Hinc

*Subsumo sic.* Synodus Ephesina infallibilis fuit in interpretanda epistola Cyrilli, quamvis valde proluxa. At quod fuit relatè ad epistolam Cyrilli, fuit etiam relatè ad alium quemlibet textum orthodoxum: manifestum enim est, non esse potius rationem pro textu Cyrilli, quam pro textu alterius cujuslibet auctoris orthodoxi. Item Synodus Ephesina infallibilis fuit in interpretanda epistola Nestorii, quamvis valde longa. At quod fuit relatè ad epistolam Nestorii, fuit etiam relatè ad alium quemlibet textum heterodoxum: nam manifestum est non esse potius rationem pro textu Nestorii, quam pro textu alterius cujuslibet auctoris heterodoxi. Ergo Synodus Ephesina infallibilis fuit in interpretandis, adeoque & qualificandis quibuscumque textibus dogmaticis. At quod Synodus Ephesina fuit, hoc est Synodus qualibet œcumenica; & quod est Synodus qualibet œcumenica, hoc est à fortiori corpus pastorale. Ergo corpus pastorale infallibile est in interpretandis, adeoque & qualificandis textibus quibuscumque dogmaticis.

Hoc argumentum, quod palmare est, sic adhuc confirmatur ex supra dictis. Synodus Ephesina non aliter definivit controversiam, quæ erat controversia fidei, quam epistolam Cyrilli orthodoxam, & epistolam Nestorii heterodoxam declarando: non enim aliter definivit controversiam, quam declarando unam epistolam consentire, & alteram repugnare Nicæno Symbolo. Atqui Synodus Ephesina infallibiliter definivit controversiam. Ergo epistolam Cyrilli orthodoxam, & epistolam Nestorii heterodoxam esse infallibiliter declaravit. Sed quod potuit circa epistolam Cyrilli & epistolam Nestorii, potuit etiam circa alios quoslibet textus dogmaticos, tam orthodoxos quam heterodoxos: manifestum enim est, non esse potius rationem pro Cyrilli & Nestorii textibus, quam pro textibus aliis quibuscumque dogmaticis. Ergo Synodus Ephesina fuit, & post illam Synodus qualibet alia generalis est, in declaranda textuum quorumcumque orthodoxia vel heterodoxia infallibilis. Ergo, &c.

Quintum argumentum sumitur à quinta Synodo generali, quæ canonibus suis præluit his verbis: *In memoria tenentes promissiones de sancta Ecclesia factas; & qui dixit quod portæ inferi non prævalerunt adversus eam, id est, hereticorum mortifera lingua; recordantes autem & quæ per Oseam de ea prophetata sunt, in quibus dicit. Et sponsabo te mihi in fide, & cognosces Dominum.... Nos autem mandatum habentes per doctrinam rectam, exhortari populum... necessarium esse putavimus capitulis comprehendere & predicationem veritatis, & hereticorum, nec non eorum impietatis condemnationem.*

Hic Synodus manifestè dicit, 1. corpori pastorali, & concilio generali corpus pastorale representanti, à Christo impositum esse munus rectè docendi fideles. 2. Hujus numeris obligationem esse triplicem,

videlicet proponendi fidelibus veritates à Deo revelatas, damnandi errores veritatibus à Deo revelatis oppositos, & proscribendi novatorum scripta, quibus errores veritati catholice repugnantes exponuntur & defenduntur. 3. Ad hæc tria infallibiliter præstanda, corpori pastorali, & Concilio generali corpus pastorale representanti à Deo primum per Oseam Prophetam, & ab ipso postea Christo promissam esse specialem assistentiam. 4. Et ita corpus pastorale, & synodum generalem corpus pastorale representantem, non magis falli posse in proscribendis textibus heterodoxis, quam in proponendis veritatibus à Deo revelatis, & erroribus, veritatibus illis repugnantibus, damnandis. Ex his autem

*Argumentor sic.* Vel Synodus generalis erravit circa sensum scripturarum, & promissiones à Deo factas Ecclesiæ, vel corpus pastorale est prorsus infallibile in proscribendis textibus heterodoxis. Primum dici non potest sine hæresi. Ergo secundum dicendum est. Ergo corpus pastorale est prorsus infallibile in discernendis textibus heterodoxis ab orthodoxis: ad hoc enim ut infallibiliter proscribat textus heterodoxos, manifestè requiritur ut eos infallibiliter discernat ab orthodoxis. Ergo corpus pastorale est prorsus infallibile in interpretandis textibus quibuscumque dogmaticis: ut enim infallibiliter discernat textus heterodoxos ab orthodoxis, manifestè requiritur ut tam orthodoxos quam heterodoxos interpretetur infallibiliter. Ergo corpus pastorale est prorsus infallibile in approbandis textibus orthodoxis, sicut & prorsus infallibile in reprobandis heterodoxis.

Hic porro quod alia priores Synodi generales, Nicæna scilicet, Ephesina, & Chalcedonenfis, exercitè tantum sibi attribuerant, hoc sibi signatè & disertis verbis attribuit Synodus quinta, infallibilitatem videlicet non solum circa dogmata, sed etiam circa textus dogmaticos. Hac confisa infallibilitate, cujus promissionem legebat in Scripturis divinis, in quibus interpretandis falli non potuit, tria Capitula, hoc est, scripta Theodori Mopsuesteni, quibus Nestorianæ impietati præverat, scripta Theodoretæ contra S. Cyrillum & Ephesinam Synodum, & epistolam Iba ad Marim Perlam, ut heterodoxa damnaret, eorumque defensores anathemati subjecit collat. 8. tribus suis posterioribus canonibus.

*Nota.* Huic Synodo, sicut & aliis prioribus, planè indubitatum fuit, 1. Ecclesiam Christi in veræ fidei professione usque ad sæculi consummationem permanuram, juxta illud Christi, *Portæ inferi non prævalerunt adversus eam.* 2. Sic permanuram ministro corporis pastoralis illam docentis, veritates à Deo revelatas proponendo, hæreses & hæresum auctores damnando, & quoties opus fuerit, textus orthodoxos approbando, aut reprobandos heterodoxos. 3. Corpus pastorale hæc tria rectè semper præstiturum esse, atque si præstando, sacrum fidei depositum sibi à Christo concredidit, integrum & incolumen usque ad consummationem sæculi conservaturum. 4. Et ita ad hunc finem specialem corpori pastorali assistentiam esse promissam, quacum nec contingeret, nec contingere poterit unquam, ut corpus pastorale erraret aut in proponendis veritatibus revelatis, aut in damnandis hæresibus, aut in interpretandis & qualificandis textibus dogmaticis.

*At inquit.* Quare ergo tot Episcopi tandiu quintæ Synodo resisterunt, & ejus definitioni acquiescere renuerunt? R. Episcopos illos quintæ Synodo tandiu resistisse, quia putabant illam non esse Synodum generalem, sed particularem tantum, & textus illos, quos damnaverant, approbatos fuisse à Chalcedonenfi Synodo, cujus, cum fuerit œcumenica, & consequenter in interpretandis textibus quibuscumque dogmaticis infallibilis, judicium de trium Capitulorum orthodoxia ajebant retrahari non potuisse, necdum rescindi.

Hi itaque Episcopi partim rectè, partim malè sentiebant: malè quidem, putando Synodum Constantinopolitanam II. esse particularem tantum, aut etiam illegi-

illegitimam Synodum, tria capitula à Chalcedonensi approbata fuisse; rectè verò, credendo Chalcedonensem Synodum esse Synodum œcumenicam, & iudicia ab œcumenica Synodo de orthodoxia, vel heretodoxia textuum dogmaticorum quorumlibet lata, infallibiliter vera esse, adeoque irrefragabilia. Quintæ igitur Synodo tandiū resistere, non quod crederent Synodum etiam generalem errare posse circa textus dogmaticos, sed è contra quia errare non posse pro certo statuebant, & ex errore facti putabant, & Synodum quintam fuisse tantum particularem Synodum, & à generali Synodo Chalcedonensi tria Capitula ut orthodoxa fuisse suscepta: ex quo confirmatur assertio nostra, sicut & ex eo quod Episcopi illi in communione Ecclesiæ privati fuerint, & habiti fuerint ut schismatici, donec Synodum quintam, ut legitimam & generalem agnoscerent, ejusque iudicio sese submitterent.

## ARTICULUS VII.

*Solvitur obiectio proposita contra naturam, & certitudinem hujus infallibilitatis.*

**O**bj. Dici non potest, quam infallibilitatem habeat Ecclesia circa textus dogmaticos. *R. neg.* & dico, 1. esse infallibilitatem promissam; quod patet ex supradictis. 2. Hanc infallibilitatem fundari in speciali assistentia Spiritus Sancti, media partim naturalia, partim supernaturalia subministrantis corpori pastorali, quibuscum corpus pastorale textus dogmaticos infallibiliter interpretatur & qualiscat. 3. Hanc infallibilitatem esse summam: suppositis enim promissionibus divinis, tam repugnat corpus pastorale falli in interpretandis & qualificandis textibus dogmaticis, quam repugnat Spiritus S. deficere in ordinandis, & subministrandis mediis, quibus corpus pastorale indiget ad hoc, ut semper textus dogmaticos rectè interpretetur, recteque de illis sententiam ferat. 4. Vi hujus infallibilitatis à Deo promissæ, corpus pastorale solum infallibile esse circa grammaticæ regulas, quantum opus est, ut rectè interpretetur textus dogmaticos. Unde non negamus Ecclesiam barbarissimos, solæcismos, & alia hujusmodi errata admittere posse.

*Dices.* Saltem dici non potest, quantum constet corpus pastorale sic esse infallibile circa textus dogmaticos. *Resp. neg.* & dico id esse certum certitudine fidei: hæc enim corporis pastoralis infallibilitas circa textus dogmaticos est de fide: *Sed contra instabis.* Illud non est de fide, quod neque ab aliquo Concilio generali, neque ab aliquo Pontifice extra Concilium generale expressè definitum fuit unquam. Atqui sic se habet corporis pastoralis circa textus dogmaticos infallibilitas. Ergo, &c. *Resp. neg. maj.* Nam corporis pastoralis infallibilitas circa ipsa fidei dogmata est de fide, quamvis neque ab aliquo Concilio generali, neque ab aliquo Pontifice extra Concilium generale unquam expressè definita fuerit.

Ratio à priori est, quia ut aliqua veritas sit de fide, sufficit, ut ab Ecclesia fidelibus proponatur sufficienter tanquam fidei dogma, ad quod non requiritur definitio Concilii generalis, aut Summi Pontificis extra Concilium generale. Sic v. gr. in Ecclesia semper de fide fuit, quod Verbum sit Deus, non creatura: quamvis hoc neque ab aliquo Concilio generali ante Arii tempora, neque ab aliquo Pontifice ante tempora Dionysii Alexandrini expressè fuerit definitum.

Itaque tamen neque aliquod Concilium generale, neque Summus Pontifex aliquis unquam expressè definit infallibilitatem corporis pastoralis circa textus dogmaticos, hæc nihilominus infallibilitas est de fide, quia illam ut fidei dogma aliunde sufficienter proponit Ecclesia: sicut tamen ejusdem corporis pastoralis infallibilitatem circa ipsa fidei dogmata, neque aliqua Synodus generalis, neque Romanus Pontifex aliquis expressè definit, hæc nihilominus in-

fallibilitas est de fide, quia ut dogma fidei aliunde ab Ecclesia sufficienter proponitur.

*Dices.* Non potest intelligi quomodo Ecclesia abique decreto Concilii generalis, vel Summi Pontificis extra Concilium generale, possit suam circa textus dogmaticos infallibilitatem sufficienter proponere ut dogma fidei. *Resp. neg.* Nam 1. sicut Ecclesia sufficienter proponit ut dogma fidei suam infallibilitatem circa ipsa fidei dogmata, sufficienter proponendo ut canonicas & divinas, scripturas illas, quibus expressè continetur hæc infallibilitas: ita quoque sufficienter proponit ut dogma fidei suam infallibilitatem circa textus dogmaticos, sufficienter proponendo, ut canonicas & divinas, scripturas illas, quibus hæc infallibilitas expressè continetur.

Porrò cum hoc primo modo Ecclesia sufficienter proponit ad credendum suam infallibilitatem circa ipsa fidei dogmata, simul & indivisibiliter ad credendum sufficienter proponit suam circa textus dogmaticos infallibilitatem. Ratio est, quia iisdem illis Scripturis, quas ut canonicas & divinas sufficienter proponit Ecclesia, eadem claritate continetur & exprimitur utraque infallibilitas. Sic v. gr. his Christi verbis Matth. cap. ult. *Docere omnes gentes .... Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi*, quæ verba certò canonica sunt & divina, tam clarè continetur & exprimitur infallibilitas circa textus dogmaticos, quam infallibilitas circa ipsa fidei dogmata: in illis enim verbis clarè continetur, & exprimitur omnis infallibilitas ad semper rectè docendum necessaria, qualis evidenter est infallibilitas in interpretandis & qualificandis quibuslibet dogmaticis textibus.

2. Sicut corpus pastorale sufficienter ad credendum proposuit hactenus infallibilitatem suam circa dogmata per usum illius, vera scilicet dogmata proponendo vel confirmando, & falsa damnando, verorum dogmatum oppugnatores, & defensores falsorum anathematizando in Conciliorum generalium symbolis & canonibus, & extra Concilia generalia in definitionibus Summorum Pontificum, ab Episcoporum dispersorum saltem pluralitate receptis: ita quoque ad credendum sufficienter suam circa textus dogmaticos infallibilitatem proposuit partim per Concilia generalia, partim per summos Pontifices utendo illa, cum traditiones Apostolicas in SS. Patrum scriptis investigavit, symbola à privatis hominibus composita approbavit, & fidelibus proposuit ut regulam fidei, epistolæ dogmaticas ut orthodoxas recepit, vel rejecit ut heterodoxas, tria Capitula & eorum defensores diris devovit, libros integros ut hæretica tæbe infectos proscripsit, &c. Sed

*Nota.* Hactenus Ecclesia non sese clariùs & expressius circa fidei dogmata, quam circa textus dogmaticos usu suo professæ est infallibilem. Etenim in Nicæno Concilio, in quo damnavit Arii dogma, Symbolum ab Osio concinnatum approbavit, & fidelibus omnibus ut regulam fidei proposuit: in Constantinopolitano I. ubi proscripsit dogma Macedonii, Symbolum Nicænum confirmavit, & aliud paulò explicatius eadem auctoritate munivit: in Ephesino non aliter Nestorii dogma confixit, quam epistolam Cyrilli Nicæno Symbolo consentientem, Nestorii verò epistolam dissentientem esse pronuntiando: in Chalcedonensi, in quo Eutychetis dogma profligavit, expositionem fidei à paucis Episcopis contextam recepit & subscripsit: in Constantinopolitano II. hæresibus, quas priores synodi damnaverant, denuò damnatis, textus dogmaticos Theodori, Theodoret, & Iba, cum suis defensoribus anathematizavit, &c. Hinc autem

*Argumentor sic.* Ex praxi Ecclesiæ circa textus dogmaticos tam colligitur ejus circa textus dogmaticos infallibilitas, quam ex ejus praxi circa fidei dogmata colligitur ejus infallibilitas circa fidei dogmata. Atqui ex praxi Ecclesiæ circa fidei dogmata ejus infallibilitas certò colligitur, de quo nemo catholicus ambigit. Ergo similiter ex praxi Ecclesiæ circa textus dogmaticos, ejus circa textus dogmaticos infallibi-

libilitas certò colligitur. Et sicut ex praxi Ecclesiæ circa dogmata fidei eam circa illa infallibilem esse, sufficientissimè colligitur in ordine ad obligationem credendi, quod nemo catholicus negabit: ita pariter ex praxi Ecclesiæ circa textus dogmaticos, in ordine ad obligationem credendi sufficientissimè colligitur eam circa textus illos esse infallibilem.

*At inquit.* Ecclesia non definit expressè suam circa textus dogmaticos infallibilitatem; cum tamen hæc infallibilitas à multis impugnatur. Ergo signum est Ecclesiam ipsam de hac infallibilitate minimè certam esse, adeoque fallum est hanc infallibilitatem esse de fide. *R. neg. conseq.* Nam infallibilitas Ecclesiæ circa fidei dogmata à multis impugnatur, & tamen Ecclesia non eam definit expressè; quamvis de ea minimè sit dubia. Malè igitur ex eo, quòd Ecclesia suam circa textus dogmaticos infallibilitatem, à multis novatoribus impugnatur, non definit expressè, malè, inquam, ex eo arguitur Ecclesiam de hac sua infallibilitate incertam esse, adeoque infallibilitatem hanc de fide esse non posse.

Itaque sicut Ecclesia, quamvis de sua circa fidei dogmata infallibilitate certissima, noluit hætenus eam expressè definire, eamque solo illius usu & exercitio contra hereticos, à quibus impugnatur, propugnandam esse iudicavit: ita pariter de sua circa textus dogmaticos infallibilitate certissima, eam tamen expressè definire hætenus noluit, & solo usu & exercitio illius defendendam esse iudicavit contra eos à quibus impugnatur.

Item sicut Ecclesia hætenus noluit expressè definire suam circa fidei dogmata infallibilitatem, non quòd de illa hætenus dubitavit, sed quia iudicavit constantem illius ulum existentiam illius & Apostolicæ de illa traditionis invictissimum esse argumentum, adeoque æquivalere expressæ definitioni, qua seipsam circa fidei dogmata infallibilem disertis verbis assereret: ita suam circa textus dogmaticos infallibilitatem expressè definire noluit hætenus, non quòd dubitavit hætenus de hac sua infallibilitate, sed quia illam & Apostolicam de illa traditionem invictissimè demonstrari iudicavit per constantem illius usum, qui proinde ulus est virtualis & interpretativa definitio, & æquivaleret formali & expressæ definitioni, qua Ecclesia seipsam circa textus dogmaticos infallibilem expressis verbis declararet.

Item Ecclesia non expressè definit suam infallibilitatem circa dogmata fidei, quia tali definitione opus non est ad hoc, ut hæc infallibilitas credi possit & debeat fide divina. Similiter non definit expressè suam infallibilitatem circa textus dogmaticos, quia hæc infallibilitas potest & debet credi fide divina sine tali definitione. Breviter, Ecclesia neutram infallibilitatem expressè definit, quia suum de utraque infallibilitate sensum exprimit per praxim suam circa dogmata fidei & textus dogmaticos. Hinc sicut, licet Ecclesia non definiat expressè infallibilitatem suam circa fidei dogmata, hæreticum tamen est negare hanc infallibilitatem, quia negatur contra sensum Ecclesiæ sufficientissimè expressum per praxim Ecclesiæ circa fidei dogmata: ita licet Ecclesia non definiat expressè infallibilitatem suam circa textus dogmaticos, hanc tamen infallibilitatem qui negat, contra fidem negat, quia negat contra sensum Ecclesiæ, quem Ecclesia per suam circa textus dogmaticos praxim sufficientissimè exprimit.

*Dices.* Ecclesia infallibilitatem suam circa fidei dogmata expressè definiit in Tridentina Synodo sess. 13. in proemio, ubi sic loquitur: *Sacrosancta Synodus sanam & sinceram illam de venerabili hoc & divino Eucharistia Sacramento doctrinam tradens, quam semper catholica Ecclesia, ab ipso Jesu Christo Domino nostro, & ejus Apostolis erudita, atque à Spiritu Sancto, illi omnem veritatem in dies suggerente, edocta, retinuit, & usque ad finem seculi conservabit, omnibus Christi fidelibus, &c.* Ergo mirum non est, infallibilitatem corporis pastoralis circa fidei dogmata statuenda, esse de fide, neque ab

hac infallibilitate concludi potest ad infallibilitatem circa textus dogmaticos interpretandos & qualificandos.

*R. 1. neg. ant.* Nam verbis citatis exprimitur tantum universitatis tam pastorum quam ovium indefectibilitas à recta fide, ex qua indefectibilitate per illationem tantum habemus infallibilitatem corporis pastoralis circa fidei dogmata statuenda: nec magis habemus hanc infallibilitatem corporis pastoralis circa fidei dogmata statuenda, quam infallibilitatem ejusdem corporis circa textus dogmaticos interpretandos & qualificandos: ex illa enim indefectibilitate per illationem habemus, promissam esse corpori pastoralis omnem infallibilitatem ad rectè docendum necessariam, qualis proculdubio est infallibilitas circa textus, &c.

*R. 2.* Dato quòd Synodus Tridentina verbis citatis expressè definiverit infallibilitatem corporis pastoralis circa fidei dogmata statuenda, à fortiori dicendum esse, quòd Synodus quinta infallibilitatem ejusdem corporis circa textus dogmaticos interpretandos & qualificandos, expressè definiverit verbis, quæ canonibus suis præmittit, & quæ citavimus Articulo superiore: in illis enim directè duo significat, videlicet omnem infallibilitatem ad rectè docendum necessariam, promissam esse corpori pastoralis, & ad rectè docendum requiri in corpore pastoralis non solum ut vera dogmata statuatur, & damnet falsa, sed etiam ut proscribat textus, quibus falsa dogmata continentur & defenduntur; adeoque directè significat, corpori pastoralis promissam esse non solum circa fidei dogmata statuenda, sed etiam circa textus dogmaticos interpretandos infallibilitatem.

## ARTICULUS VIII.

*Solvitur obiectio petita ex Bellarmino.*

*Dices.* Corporis pastoralis infallibilitas circa textus dogmaticos interpretandos in dubium revocatur, imò & negatur à multis Doctoribus catholicis. *R. neg.* Quis enim Doctor catholicus hætenus docuit Nicænam Synodum falli potuisse in interpretando Symbolo, quod fidelibus omnibus ut regulam fidei proposuit, & ejus nomine Nicænam appellatur? Ephesinam Synodum falli potuisse in interpretandis epistolis dogmaticis Cyrilli & Nestorii, quarum unam consonam, & alteram dissonam Symbolo Nicæno pronunciavit? Chalcedonensem Synodum falli potuisse in interpretanda fidei expositione, quam recepit & subscripsit? Quintam Synodum falli potuisse in interpretandis tribus Capitalis, quæ cum suis defensoribus execrata est? Quis Doctor catholicus hætenus docuit, Concilia œcumenica falli posse in interpretandis SS. Patrum scriptis, in quibus investigantur traditiones Apostolicas, & ex quibus veras traditiones à falsis discernunt? Aut saltem quis horum aliquid docere potuit sine errore in fide?

*Probabis tamen propositionem negatam.* Sit unus pro omnibus Bellarm. lib. 4. de Romano Pontifice c. 11. ubi Honorii causam agens, sic loquitur: *Quod si aliquis adhuc non possit adduci, ut credat corruptam esse VI. Synodum; is accipiat alteram solutionem, quæ est Joannis à Turre-cremata lib. 2. de Ecclesia c. 93. qui docet Patres VI. Synodi damnasse quidem Honorium, sed ex falsa informatione, ac proinde in eo iudicio errasse. Quamvis enim generale Concilium legitimum non possit errare, ut neque erravit hoc sextum in dogmatibus fidei definiendis, tamen errare potest in questionibus de facto. Itaque tuto dicere possumus, hos Patres deceptos ex falsis rumoribus; & non intellectis Honorii epistolis, immerito cum hereticis connumerasse Honorium. Ex quibus verbis*

*Sic argumentaberis.* Illud non est de fide, quòd tuto negari potest. Atqui ex Bellarmino, tuto negare possumus Concilium generale legitimum falli non posse in interpretandis textibus dogmaticis, & tuto dicere possumus, sextum Concilium, quamvis generale & le-

& legitimum, errare potuisse, & re ipsa errasse in interpretandis epistolis dogmaticis Honorii. Ergo ex Bellarmino, non est de fide, quod Concilium generale legitimum sit in interpretandis textibus dogmaticis infallibile, & consequenter corporis pastoralis, quod Concilium generale legitimum repræsentat, infallibilitas in interpretandis textibus dogmaticis non est de fide. Ad solutionem

*Nota.* Honorii epistolæ (idem dic de quolibet alio textu dogmatico) possunt considerari dupliciter. 1. Absolutè & secundum se. 2. Relativè ad suum auctorem. Primo modo considerantur, cum sumuntur secundum sensum, quem verba ex institutione ab omnibus recepta expriment. Considerantur secundo modo, cum sumuntur relativè ad sensum, quem auctor earum habuit in mente, vel, si vis, cum sumuntur relativè ad intentionem, ex qua ab auctore suo scriptæ fuerunt. His præsuppositis,

R. 1. Cum didicimus esse de fide, quod Ecclesia sit infallibilis in interpretandis textibus dogmaticis, semper loquimur de textibus dogmaticis, sumptis absolutè & secundum se; nunquam de illis sumptis relativè ad auctorem illorum. Quare nobis non contradicit hic Bellarminus, quia de Honorii epistolis non primo, sed secundo modo consideratis loquitur. Itaque cum Bellarminus ait, tutò dici posse Honorii epistolas male à sexta Synodo interpretatas fuisse, loquitur de epistolis Honorii sumptis non absolutè & secundum se, sed relativè ad ipsum Honorium, quem sexta Synodus Monothelitam, aut saltem Monothelitarum fautorem fuisse credidit: nec aliud vult Bellarminus, quam tutò dici posse, quod sexta Synodus errare potuerit, & re ipsa erraverit circa Honorii epistolas relativè ad ipsum Honorium sumptas; quod faciliè concedimus, nec officit ullatenus doctrinæ nostræ.

Sexta Synodus errare potuit circa Honorii epistolas, sumptas relativè ad ipsum Honorium, quia Ecclesia non est infallibilis circa textus dogmaticos, relativè sumptos ad suos auctores; & non est infallibilis, quia hæc infallibilitas ad bene docendum, & servandum fidei depositum, necessaria non est. Sexta Synodus re ipsa erravit circa Honorii epistolas, relativè sumptas ad ipsum Honorium, quia falsò iudicavit aut ab Honorio fuisse scriptas animo hæretico, vel saltem ex intentione favendi hæreticis: & hoc iudicavit, quia ex falsa informatione decepta, credidit Honorium fuisse Monothelitam, vel saltem propensum in Monothelitas, adeoque malo animo, & non ex quadam æconomia, ac sincero pacis inter Orientales Ecclesias conciliandæ studio, unius & duarum in Christo operationum vocabula supprimenda censuisse.

Sexta Synodus errare potuit errore facti purè personalis, quia Ecclesia circa facta purè personalia non est infallibilis; & non est infallibilis, quia hæc infallibilitas necessaria non est ad veræ fidei conservationem. Quare sexta Synodus errare potuit circa epistolas Honorii sumptas relativè ad ipsum Honorium, quia errare circa illas sic sumptas, non est nisi facti purè personalis error: quod enim Honorius epistolas suas tali mente, vel tali intentione scripserit, est factum purè personale; atque ita errare, iudicando quod eas scripserit tali mente, vel tali intentione, est error facti purè personalis: quæ omnia vera sunt, nec juvant adversarios: nobis enim sufficit Bellarminum non intellexisse, quod sexta Synodus erraverit circa Honorii epistolas sumptas etiam absolutè & secundum se, hoc est, secundum sensum, quem verba ex institutione communiter recepta expriment, independentè à sensu quem auctor illarum habuit in mente, & intentione qua ad scribendas illas promotus est.

*At inquit.* Violenta videtur hæc interpretatio mentis Bellarmini, & supposita veritate actorum Synodi, ut hic supponit Bellarminus, manifestum videtur, quod Synodus Honorii epistolas eodem modo consideraverit, quo epistolas Sergii. Sic enim legitur act. 3. tom. 6. Conc. pag. 944. *Retrañentes dogmaticas epistolas, que tanquam à Sergio ... scripte sunt, tam ad Cyrum ... quam ad Honorium ... similiter autem & Simonnet Theol. Tom. II.*

*epistolam ab illo, id est, Honorio rescriptam ad eundem Sergium, hæcque invenientes omnino alienas existere ab Apostolicis dogmatibus, & à definitionibus sanctorum Conciliorum, & cunctorum probabilium Patrum, sequi vero falsas doctrinas hæreticorum, eas omnino abjicimus, & tanquam animæ noxias execramur.*

Itaque vel dicendum est epistolas Honorii à Synodo consideratas fuisse absolutè & secundum se; vel dicendum quoque à Synodo Sergii epistolas non fuisse absolutè & secundum se consideratas, adeoque à Synodo damnatas non fuisse, nisi relativè ad mentem & intentionem Sergii, quod pariter dicendum erit de omnibus aliorum Monothelitarum textibus à Synodo damnatis, quod certè absurdum est. Præterea, quod & Sergii & Honorii epistolas absolutè secundum se consideraverit Synodus demonstrari videtur ex eo, quod Synodus eas execretur tanquam noxias animæ, legentium scilicet, quos in errorem inducere possunt; at si legentibus noxiæ esse non possunt, quantumvis animo & intentione hæretica scriptæ supponantur, nisi sensum quoque hæreticum verba per se expriment. Secundum sensum igitur, quem verba per se expriment, Sergii & Honorii epistolæ à Synodo considerantur.

Propter hanc instantiam, quamvis in prima responsione nostra solutione non careat, libenter admittimus. Honorii epistolas absolutè & secundum se à sexta Synodo consideratas fuisse; & quod Bellarminus, cum ait tutò dici posse, epistolas illas intellectas non esse à sexta Synodo, de epistolis illis etiam absolutè & secundum se consideratis loquitur, libenter supponimus, & eò libentius, quod adhuc noster est Bellarminus, hac suppositione facta. Itaque

R. 2. Bellarminum in hac suppositione non magis dubitare de infallibilitate Ecclesiæ circa textus dogmaticos, cum ait sextam Synodum errare potuisse in interpretandis Honorii epistolis, quam dubitare de infallibilitate Ecclesiæ circa fidei dogmata, cum ait Concilium generale separatim à Pontifice errare posse in definiendis fidei dogmatibus. Juxta Bellarminum, Concilium generale, separatim à Pontifice, errare potest in definiendo fidei dogmate, non quia Ecclesia non est infallibilis in definiendis fidei dogmatibus, sed quia Concilium generale, sine Pontifice idem viva voce vel scripto definiente, non repræsentat sufficienter Ecclesiam in ordine ad actuale exercitium infallibilis illius auctoritatis, quam habet in Ecclesia ad dogmata fidei definienda.

Similiter, juxta Bellarminum, Concilium generale, separatim à Pontifice, errare potest in interpretando aliquo textu dogmatico, non quia Ecclesia non est infallibilis in interpretandis textibus dogmaticis, sed quia Concilium generale, sine Pontifice eodem modo viva voce vel scripto interpretante, non repræsentat sufficienter Ecclesiam in ordine ad actuale exercitium infallibilis illius auctoritatis, quam habet Ecclesia ad interpretandos textus dogmaticos, eoque qualificandos.

Porro cum hoc loco qui nobis opponitur, Bellarminus ait, Concilium generale legitimum errare non posse in dogmatibus fidei definiendis, certo certius loquitur de Concilio generali conjuncto cum Romano Pontifice idem definiente; sive, quod idem est, de Concilio generali vel definiente secundum præjudicium Romani Pontificis: vel confirmato à Romano Pontifice: quia tunc tantum Concilium generale perfectè æcumenicum est, adeoque tunc infallibile in definiendo fidei dogmate. Pater ex lib. 2. de Conc. auctoritate cap. 11. ubi ex professo probat, *Concilia generalia ante confirmationem Summi Pontificis, errare posse, nisi Patres in definiendo sequantur Pontificis instructionem.*

Propterea igitur intacta infallibilitate Ecclesiæ circa textus dogmaticos, quam asserimus & dicimus esse de fide, potest in Bellarmini doctrina tutò dici sextam Synodum errare potuisse, & re ipsa errasse in interpretandis Honorii epistolis, etiam spectatis absolutè, & secundum sensum quem verba per se & ex

D d insti-

institutione sua expriment: quia sexta Synodus epistolam illam interpretata est sine Pontifice, eas eodem modo interpretante: nam neque in illis epistolis interpretandis secuta est instructionem Agathonis; imò potius contraxit, juxta Bellarminum, & rei veritatem; quia Agatho in sua ad Imperatorem epistola 1. epistolas Honorii orthodoxas sufficienter declaravit, dicendo: *Quoniam Dominus & Salvator omnium, cujus fides est, qui fidem Petri non defecturam promissit, confirmare eum fratres suos admonuit, quod Apostolicos Pontifices, mea exiguitatis predecessores, fecisse semper, cunctis est agniti*; neque epistolarum illarum interpretationem ab ea factam confirmavit Leo II. in sua ad Constantinum epistola Concilii confirmatoria, in qua anathematizat Honorium, quia *Apostolicam Ecclesiam non Apostolica traditionis doctrinalustravit, sed prophana prodicione fidem immaculatam maculari permisit*. Nam 1. Bellarminus contendit hic à Græcis corruptam fuisse Leonis epistolam. 2. Supponendo hæc verba esse Leonis, illis non confirmatur, sed manifestè corrigitur sententia Concilii, quantum attinet ad Honorii epistolas: manifestè enim verbis illis Honorius damnatur tantum eò quòd Apostolico vigore Monothelitis non restiterit, nec monitum in incunabulis suffocavit.

*Quæres*, utra ex duabus responsionibus pro Bellarmino allatis sit alteri præferenda?

R. 1. Idem prius dicendum est de infallibilitate Concilii generalis circa textus dogmaticos, quod dicitur de ejus infallibilitate circa fidei dogmata; nam cum dogmata fidei nec definiuntur, nec definiiri possint à Concilio generali interpretatione & collatione textuum dogmaticorum, ut constat ex praxi omnium Conciliorum generalium, Concilii generalis infallibilitas circa fidei dogmata separari non potest ab ejus infallibilitate circa textus dogmaticos.

2. De Concilii generalis infallibilitate circa dogmata fidei duplex est sententia. Prima est Bellarmini, docentis Concilium generale separatim à Pontifice non esse circa fidei dogmata infallibile, adeoque in dogmatibus fidei definiendis errare posse ante Pontificis confirmationem, nisi Patres ejus instructionem sequantur. Secunda sententia est aliorum Theologorum, qui tenent Concilium generale, etiam separatim à Pontifice, esse circa fidei dogmata infallibile, adeoque etiam ante Romani Pontificis confirmationem in dogmatibus fidei definiendis errori obnoxium esse non posse. Hanc autem Doctorum catholicorum controversiam hic non suscipimus dirimendam.

3. Juxta primam sententiam, dicendum est Concilium generale separatim à Pontifice, non esse in textibus dogmaticis interpretandis infallibile, adeoque ante Pontificis confirmationem in eorum orthodoxia, vel heterodoxia declaranda falli posse, nisi tamen Patres in hac sua declaratione sequantur præjudicium Pontificis. Juxta secundam verò sententiam dici debet, Concilium generale, etiam separatim à Pontifice, habere in textibus dogmaticis interpretandis infallibilitatem, adeoque in eorum orthodoxia, vel heterodoxia declaranda falli non posse etiam ante Pontificis confirmationem, etiamsi Pontifex orthodoxiam, vel heterodoxiam illam non præjudicavit.

4. Qui primam sententiam tenent, sine præjudicio infallibilitatis Ecclesiæ circa textus dogmaticos, intrepidè dicere possunt sextam Synodum circa Honorium in duplicem prolapsam esse errorem; errorem scilicet facti purè personalis, Honorium ex falsa informatione connumerando hæreticis; & errorem juris, vel, si vis, facti ad fidem pertinentis, Honorii epistolas etiam secundum sensum litteralem sumptas malè interpretando, & ut heterodoxas abjiciendo.

In secunda verò sententia, cum, ut hic supponimus, & alias sufficienter ostendimus, probabiliter dici non possit epistolas Honorii, secundum sensum quem verba per se expriment, spectatas, dogmati

catholico adversari, vel dicendum est acta sextæ Synodi à Græcis falsatoribus fuisse corrupta, quantum ad Honorium attinet, quod parum probabile videtur, vel dicendum potius, sextam Synodum epistolas Honorii non considerasse nisi relatè ad mentem & intentionem ejus, adeoque errasse circa illas errore tantum facti purè personalis, abjiciendo illas ut scriptas mente hæretica, vel saltem ex intentione favendi hæreticis, ipsumque Honorium ex falsa præsumptione anathematizando ut hæreticum, vel saltem ut fautorem hæreticorum.

Porro sicut alterutrum sententiæ de infallibilitate Concilii generalis circa dogmata fidei & textus dogmaticos, ita & alterutrum responsionis ad difficultatem petitam ex factis sextæ Synodi circa Honorium, liberam lectori opinionem relinquitur: quia utravis eligatur responsio, manet indubitata Ecclesiæ infallibilitas in interpretandis & qualificandis textibus dogmaticis; quam infallibilitatem Concilium generale separatim à Pontifice non exercet in prima sententia, & exercet in secunda sententia, in quam magis, quam in alteram propendimus, hanc sententiam intelligentes de Concilio perfectè ecumenico, in quo proinde legati Pontificii præsentis sunt & præfunt.

## ARTICULUS IX.

*Solvitur obiectio petita à distinctione questionum juris & facti.*

**O**bi. Quòd textus aliquis dogmaticus sit orthodoxus, aut heterodoxus, est quæstio facti. Atqui Ecclesia errare potest circa facta. Ergo errare potest in declaranda orthodoxia, vel heterodoxia textuum dogmaticorum. R. 1. neg. maj. & dico esse quæstionem juris, cum quaritur de aliquo textu dogmatico, utrum sit orthodoxus, an heterodoxus. Ratio convincens est, quia cum quaritur de aliquo textu, qui dogma aliquod exprimit, utrum sit orthodoxus, an heterodoxus, manifestè perinde est ac si quaratur, utrum dogma quod illo textu exprimitur, sit orthodoxum an heterodoxum, & manifestum est esse quæstionem juris, cum de dogmate, quod exprimitur aliquo textu, quaritur utrum sit orthodoxum, an heterodoxum.

*Confirmatur.* Quia cum quaritur de quinque famosis Propositionibus, quæ sunt textus dogmatici, utrum sint orthodoxæ, an heterodoxæ, esse quæstionem juris fatentur novatores, contra quos hic disputamus. Atqui non est porior aliqua ratio pro illis Propositionibus, quam pro alio quolibet textu dogmatico, puta quam pro Thalia Aui, pro Epistola Nestorii ad Cyrillum, pro Esthesi Sergii, &c. Nec juvat adversarios, si dicant hos textus & alios similes, esse textus prolixos, quinque verò propositiones esse textus breves: harum enim propositionum heterodoxia non est merum factum, quia sunt textus dogmatici, non quia sunt textus breves; & ex eo quòd alii textus sunt prolixos, nihilominus sunt dogmatici. Ergo eorum heterodoxia non est merum factum, quantumvis prolixo supponatur.

*Amplius.* Heterodoxia quinque propositionum pertinet ad quæstionem juris, quia in tantum sunt heterodoxæ, in quantum expriment falsum dogma, & falsum dogma quod expriment, pertinet ad jus. Atqui alii quilibet textus dogmatici heterodoxi, quantumvis prolixo supponatur, heterodoxi sunt, quia falsum dogma expriment, quod falsum dogma ad jus quoque pertinet. Ergo evidenter eorum heterodoxia tam pertinet ad quæstionem juris, quam heterodoxia quinque propositionum.

R. 2. Dato quòd orthodoxia & heterodoxia textuum dogmaticorum sint facta, distinguenda esse facta duplicis generis. Nam 1. sunt facta particularia, personalia, & ad fidem nullatenus pertinentia, & ex quorum affirmatione, vel negatione nullatenus periclitatur veritas catholica; ut si quaratur utrum talis sit promovendus ad Episcopatum, utrum fuerit jure pro-

promotus, utrum sit deponendus, &c. In ejusmodi factis decidendis Ecclesiam errare posse, in confesso est apud omnes catholicos: ejusmodi enim factorum decisio pendet à depositione testium, à quibus falli potest Ecclesia; & aliunde in ejusmodi factis decidendis infallibilitas necessaria non est Ecclesiae ad semper rectè docendum, & servandum fidei depositum; nec ex errore Ecclesiae circa illa fides in periculum aliquod adducitur.

2. Sunt etiam facta generalia, ad fidem pertinentia, ex quorum falsa affirmatione vel negatione fides adducitur in periculum; ita conjuncta cum dogmate aliquo, ut falsa affirmatio vel negatio facti, sit affirmatio falsi, vel negatio veri dogmatis; talia, ut si Ecclesia circa illa erraret, malè doceat fideles; talia, ut si circa illa errare possit Ecclesia, possit veras traditiones ut falsas repudiare, & falsas traditiones ut veras suscipere, atque in dogmatibus fidei definiendis falli. Unde quod Ecclesia in ejusmodi factis & questionibus, quæ de illis occurrunt, solvendis, prorsus infallibilis sit, catholicis omnibus planè indubitatum est, & tam certum esse debet, quàm certum est eam non posse malè docere, traditiones veras rejicere & falsas amplecti, falsa affirmatione, vel negatione doctrinam orthodoxam in periculum adducere, in dogmatibus fidei definiendis errare; breviter, tam certum esse debet, quàm ex iis omnibus, quæ ad servandum fidei depositum necessaria sunt, nihil ei deesse posse.

Dico autem, orthodoxiam, & heterodoxiam textuum dogmaticorum, si dici debet factum, esse factum secundi generis: nam si factum est, 1. est factum generale, seu fideles omnes spectans: quid enim magis spectat fideles omnes, quàm textus, qui in manus omnium venire potest, & ex quo omnes sanam doctrinam, si orthodoxus, hæreticam verò, si heterodoxus est, haurire possunt. 2. Est factum ad fidem pertinens: nam vel affirmat, vel negat verum dogma. 3. Est factum, ex cuius falsa affirmatione vel negatione vera fides adducitur in periculum: veram enim fidem in eminenti periculo versari necesse est, si Ecclesia textum orthodoxum tanquam heterodoxum, aut heterodoxum tanquam orthodoxum fidelibus proponat.

4. Est factum ita conjunctum cum dogmate, ut ejus falsa affirmatio vel negatio sit affirmatio falsi vel negatio veri dogmatis: nam si Ecclesia affirmaret v. gr. epistolam Nestorii ad Cyrium esse orthodoxam, hoc ipso affirmaret Christum esse purum hominem; & si negaret Thalam Aui esse heterodoxam, hoc ipso negaret Verbum esse Deum, &c.

5. Est factum tale, ut si Ecclesia circa illud erraret, malè doceret fideles: nam malè docet ille, cuius doctrina, ii qui docentur, induci possunt in errorem. At Ecclesia textum orthodoxum ut heterodoxum, vel heterodoxum ut orthodoxum proponente, fideles faciliè in errorem inducerentur; faciliè enim propter auctoritatem Ecclesiae, textum orthodoxum rejicientes ut heterodoxum, doctrinam in eo expressam rejicerent ut heterodoxam, vel textum heterodoxum suscipientes ut orthodoxum, doctrinam in eo expressam susciperent ut orthodoxam.

6. Denique est factum tale, ut si Ecclesia posset circa illud errare, posset veras traditiones ut falsas rejicere, & falsas suscipere ut veras: posset enim orthodoxorum Patrum & legitimorum Conciliorum textus reprobare, & approbare textus hæreticorum & pseudo-synodorum. Unde ulterius, textus dogmaticos veterum scriptorum & conciliorum malè interpretando, falli posset in dogmatibus fidei definiendis. Manifestum igitur est, Ecclesiam circa textus dogmaticos infallibilem esse, siue eorum orthodoxia vel heterodoxia dicatur pertinere ad questionem juris, siue dicatur pertinere tantum ad questionem facti: quia si pertinet ad questionem facti, pertinet ad questionem facti generalis, fidem spectantis, &c. adeoque ad questionem, circa quam tam necesse est Ecclesiam esse infallibilem, quàm circa questionem juris.

*Simonnet Theol. Tom. II.*

*Dices.* Sanctus Thomas, & cum eo Theologi penè omnes docent, Ecclesiam fallibilem esse in questionibus facti. *Resp.* S. Thomam & alios Theologos loqui de factis particularibus, & purè personalibus, non de factis generalibus & dogmaticis, qualia sunt textuum dogmaticorum orthodoxia & heterodoxia, si tamen sunt facta tantum. Audiamus Sanct. Thomam, & Bellarminum pro omnibus Theologis. Sic autem habet S. Thomas quodlibet. 9. art. 16. in O. *Certum est, quod judicium Ecclesie universalis errare in his, quæ ad fidem pertinent, impossibile sit... in aliis vero sententiis, quæ ad particularia facta pertinent, ut cum agitur de possessionibus, vel de criminibus, vel de hujusmodi, possibile est judicium Ecclesie errare propter falsos testes.*

Bellarminus verò lib. 4. de Roman. Pontif. cap. 2. pag. 955. sic ait: *Annotandum est, sententias & decreta Pontificum interdum versari in rebus universalibus, quæ toti Ecclesie proponuntur, qualia sunt decreta de fide, & præcepta morum generalia; interdum in rebus particularibus, quæ ad paucos pertinent, quales ferè sunt omnes controversie facti, ut an talis sit promovendus ad episcopatum, an jure fuerit promotus, an videatur deponendus... Conveniunt omnes Catholici... posse Pontificem, etiam ut Pontificem, & cum suo cœtu consiliarios, vel cum generali Concilio, errare in controversiis facti particularis, quæ ex informatione testimoniisque hominum præcipuè pendunt.*

Vides Sanct. Thomam & Bellarminum loqui de factis in quibus Ecclesia decipi potest à falsis testibus, ac proinde de factis, in quorum examine testes adhibentur; loqui de factis, quæ ex informatione & hominum testimoniis præcipuè pendunt. At manifestum est, textuum dogmaticorum orthodoxiam & heterodoxiam non esse facta hujusmodi: nam in examine textuum dogmaticorum testes non adhibentur, sed eos per se expendere potest & expendit Ecclesia: neque controversiarum, quæ de textuum illorum orthodoxia vel heterodoxia occurrunt, decisio pendet ex informatione & testimoniis hominum, sed ex eorum interpretatione, intelligentia Scripturarum Sacrarum, & traditionum divinarum notitia; & aliquando ex eorum collatione cum orthodoxorum Patrum scriptis, symbolis aut canonibus Conciliorum, Summorum Pontificum decretis. In his autem omnibus Ecclesia infallibilis est propter infallibilem Spiritus Sancti assistentiam. Dato igitur quod textuum dogmaticorum orthodoxia & heterodoxia sint facta, non sunt saltem de numero factorum illorum, de quibus loquuntur S. Thomas & alii Theologi, cum ajunt Ecclesiam in factis errare posse. Quod

*Confirmatur.* Quia S. Thomas, & alii Theologi loquuntur de factis, quæ ad paucos spectant, nec ad fidem pertinent. At de controversiis, quæ circa orthodoxiam vel heterodoxiam textuum dogmaticorum occurrunt, 1. dici non potest, quod ad paucos spectent: nam spectant ad omnes fideles, & omnium fidelium sapenúmero magni interest, ut finiantur, & auctoritate, cui omnes se submittere teneantur, adedque auctoritate infallibili decendantur. 2. Dici non potest, quod ad fidem non pertineant: nam v. gr. cum quaeritur, quænam ex Cyrilli & Nestorii epistolis sit Symbolo Nicæno consona, quænam dissona, quis sanæ mentis neget, hanc questionem ad fidem pertinere? Et verò cum quaeritur, quænam ex duabus epistolis sit orthodoxa, quænam heterodoxa, evidenter idem est, ac si quaeratur, utrum Christus sit Deus, an purus homo.

*Dices.* Saltem Ecclesia non est infallibilis, nisi circa facta à Deo revelata. Atqui quod textus aliquis dogmaticus sit orthodoxus aut heterodoxus, non est factum à Deo revelatum. Ergo, &c. *Resp.* neg. maj. cujus falsitas facili inductione demonstratur. Nam 1. quod celebrata fuerit Synodus, quæ Nicæna vocatur, quod fuerit generalis, quod fuerit legitima, quod definierit Filium in divinis esse Patri consubstantialem; quod Symbolum, ejus nomine Nicænum nuncupa-

Dd 2 rum,

tum, approbat; quod illud Symbolum nunc exte-  
rale, quale ab eo approbatum est, sunt facta, quæ  
à Deo saltem in doctrina adversariorum revelata non  
fuerunt, & tamen circa aliquod ex eis Ecclesiam  
falli posse, nemo catholicus dixerit.

2. Quod tales textus sint Cypriani, Ambrosii,  
Hieronymi, Augustini, &c. quod Cyprianus, Am-  
brosius, Hieronymus, &c. in talibus textibus tale  
dogma expresserint; quod Cyprianus, Ambrosius,  
&c. sint veri testes traditionis Apostolicæ in talibus  
textibus, sunt facta non revelata à Deo, & tamen  
Ecclesia circa illa infallibilis est: alioquin non est  
infallibilis in discernendis ex communi Patrum con-  
sensu veris traditionibus à falsis, quod nemo fidelis  
concedet. Alia quamplurima ejusmodi facta brevita-  
tis causa prætermittimus, circa quæ, quamvis à Deo  
revelata non fuerint, Ecclesiam errare non posse,  
inconfesso est apud orthodoxos omnes.

## ARTICULUS X.

*Solvitur objectio petita ex infallibilitate Ecclesiæ  
circa sensum auctorum, qui textus dogmaticos  
componunt.*

**O**bj. Ecclesia non est infallibilis circa sensum au-  
ctorum, qui libros dogmaticos componunt.  
Ergo nec circa sensum librorum dogmaticorum.  
Pro solutione

*Nota.* Duplex distinguendus est sensus auctoris li-  
brum scribentis, internus scilicet, quem voco perso-  
nalem; & externus, quem litteralem nomino. Sen-  
sus internus seu personalis est ille, quem auctor ha-  
bet in mente, quando scribit: externus verò seu li-  
teralis, est ille quem verba ab auctore in scribendo  
adhibita, per se & ex institutione sua exprimunt, &  
præferunt. His autem prænotatis,

R. dist. ant. Ecclesia non est infallibilis circa sen-  
sum internum & personalem auctorum, qui, &c.  
C. ant. Ecclesia non est infallibilis circa sensum ex-  
ternum & litteralem auctorum, qui, &c. Neg. ant.  
& conseq. Sensus enim librorum dogmaticorum est  
sensus externus & litteralis auctorum, qui libros  
dogmaticos componunt.

*Dices 1.* Distinctio sensus personalis & litteralis  
arbitraria est, & gratis conficta. *Resp.* Hoc negan-  
do: nam fieri potest, & quandoque fit, ut quis ha-  
beat in mente sensum orthodoxum, & tamen in scri-  
bendo utatur verbis, quibus sensus heterodoxus ex-  
primitur: ut enim ait S. Thomas 1. part. quæst. 3.  
art. 2. in O. ex verbis inordinate prolatis incurritur  
hæresis. Potest autem quis rectè sentiens, verba in-  
ordinate proferre, & hoc interdum contingere, gra-  
tis, imò & contra experientiam negaretur.

*Dices 2.* Ecclesia ex concessis non est infallibilis  
circa sensum personalem auctorum dogmaticorum.  
Ergo nec est infallibilis circa litteralem sensum eo-  
rum. *Resp.* neg. conseq. Ratio disparitatis est, quia  
Ecclesia non est infallibilis (supple semper, infallibi-  
litate promissa, de qua hic semper agitur) nisi quan-  
tùm requiritur ad servandum fidei depositum, & ad  
tuendos fideles contra fraudes hæreticorum, eoique  
in vera fide continendos. Ad hæc autem sufficit in-  
fallibilitas circa fidei dogmata, & sensum litteralem  
auctorum, qui de fidei dogmatibus scribunt. Unde  
infallibilitas circa sensum personalem auctorum dog-  
maticorum, gratis attribueretur Ecclesiæ. Pro quo

*Nota.* Magnum discrimen est inter personalem &  
litteralem sensum auctoris dogmatici. Sensus enim  
personalis latet in mente auctoris; unde fidem no-  
stram nec javare nec corrumpere potest, & pertinet  
ad secreta cordium, quorum solus Deus discretor  
est infallibilis. At sensus litteralis extat in texti-  
bus, qui in manus omnium venire possunt, &  
ab omnibus legi. Unde prout textus sunt ortho-  
doxi vel heterodoxi, sensus litteralis ad fidem no-  
stram juvandam, vel depravandam plurimum potest

valere. Ex quo manifestè apparet ratio attribuendi Ec-  
clesiæ infallibilitatem circa sensum litteralem, & non  
attribuendi circa sensum personalem auctorum dog-  
maticorum.

*Dices 3.* Ecclesia non solum libros dogmaticos,  
sed etiam eorum auctores anathematizat, Ergo non  
est ratio, cur potius Ecclesia censeatur infallibilis circa  
sensem litteralem, quam circa personalem auctorum  
dogmaticorum. R. neg. conseq. Nam cum Ecclesia  
anathematizat textum dogmaticum, illum execratur  
ut heterodoxum, in quo si falleretur, textum ortho-  
doxum execraretur ut heterodoxum, & ut heterodo-  
xum fidelibus execrandum proponeret, sicque manife-  
stè fideles induceret in errorem in re ad fidem per-  
tinentem; quod aliquando contingere posse, divinis pro-  
missionibus evidenter repugnat. At cum Ecclesia ana-  
thematizat auctorem textus dogmatici, illum tantum  
execratur ut hæreticum; in quo si fallitur, etiam post  
maturam deliberationem, & diligentem veritatis in-  
quisitionem, ex ejus errore sequitur tantum injusta  
materialiter hominis privati infamatio, ex qua infama-  
tione fides non periclitatur, nec fideles ad falsum ali-  
quod dogma suscipiendum inducuntur.

Porro ut Ecclesia auctorem libri dogmatici tanquam  
hæreticum damnare possit, tria sufficiunt, nempe in-  
fallibilitas Ecclesiæ circa sensum litteralem auctoris,  
seu infallibilis notitia heterodoxiæ libri; notorietas,  
qua constat librum heterodoxum esse hujus auctoris;  
& hujus auctoris, si adhuc vivit, inobedientia erga  
Ecclesiam, seu pertinacia in defendendo libro hetero-  
doxo; unde meritò arguitur hæreticum animum ge-  
rere, & si è vivis excessit, iusta præsumptio, quod  
librum hæretico animo & intentione hæretica scripse-  
rit, atque sensum, quem verba libri per se expri-  
munt, in mente habuerit, nec respicerit. Quæ iusta  
præsumptio haberi potest ex eo quod mortuus est ex-  
tra communionem Ecclesiæ, vel nunquam ante mor-  
tem, Ecclesiæ judicio librum suum submittere se, scri-  
pto vel viva voce professus est.

*Dices 4.* Ecclesia tam decidit orthodoxiam vel hete-  
rodoxiam sensus personalis, quam decidit orthodo-  
xiam vel heterodoxiam sensus litteralis. Ergo nec ma-  
gis nec minus infallibilis est circa sensum personalem,  
quam circa litteralem. R. neg. ant. Nam v.g. Synodus  
Ephesina anathematizando epistolam Nestorii, sensum  
Nestorii litteralem heterodoxum esse pronuntiavit,  
ipsum verò Nestorium anathematizando, solum decla-  
ravit se illum habere ut hominem hæreticum, & ut  
talem ab omnibus fidelibus habendum ac vitandum ef-  
fe, quia scilicet moraliter constabat illum esse aucto-  
rem epistolæ hæreticæ, eam hæretica intentione scri-  
pisse, & mentem hæreticam habere.

Item quinta Synodus anathematizando scripta  
Theodori Mopluesteni, sensum ejus litteralem hete-  
rodoxum esse declaravit: ipsum verò Theodorum  
anathematizando, solum memoriam ejus ut homi-  
nis, qui & hæresim docuisset, & in hæresi mor-  
tuus esset, infamavit & execrata est, execrandum si-  
delibus propinavit, eò quod satis superque constabat  
illum scriptorum illorum auctorem fuisse, ea anime  
hæretico concinnasse, & extra Ecclesiæ communio-  
nem defunctum esse, adeoque hæreticam mentem  
nunquam deposuisse.

Item eadem quinta Synodus damnando textus  
Theodoretæ & Ibas, sensum eorum litteralem damna-  
vit ut heterodoxum. Quarta verò Synodus sensus eo-  
rum personalis orthodoxiam minimè definivit, sed so-  
lum illos in sedes suas restituit ob sensum personalem  
orthodoxum, ab eis sufficienter probatum; seu, quod  
idem est, quia sufficienter Theodoretus quidem Ne-  
storio anathema dicendo, atque epistolam Leonis &  
fidei expositionem subscribendo, Ibas verò anathema-  
tizando Nestorium & Eutychetem, se catholicè sen-  
tire ostenderunt.

*Dices 5.* Ecclesia quandoque & textum auctoris &  
ipsum auctorem sub ipsius auctoris nomine indiscrimi-  
natim anathematizat. Ergo tunc saltem & sensus per-  
sonalis & litteralis heterodoxiam indiscriminatim de-  
finiit.

fini. R. neg. conseq. Nam tunc Ecclesia sub auctoritatis nomine directè definivit hæterodoxiam sensus literalis, quem verba textus per se exprimunt, & quem ipsa deprehendit, textum ipso examinando, & cum Symbolis atque SS. Patrum textibus conferendo, qui modus cognoscendi errori obnoxius esse non potest respectu Ecclesiæ; simulque indirectè infamat personam auctoris propter sensum personalem, ex sufficienti informatione, sufficientibusque testimoniis aliisve indiis cognitum; qui modus cognoscendi etiam respectu Ecclesiæ, absolute fallibilis est, & nihilominus sufficit ad infamandum auctorem, eumque habendum & execrandum ut hominem hæreticum. Pro quo

*Nota.* Ecclesia non habet quidem infallibilitatem promissam circa sensum personale auctorum dogmaticorum; ac habere potest moralem, fundatum in evidentiâ morali testimoniorum, aliorumve indiciorum; quæ infallibilitas modò major est, modò minor, prout moralis evidentiâ, in qua fundatur, major vel minor est. Quamvis autem cum hac infallibilitate morali Ecclesia absolute errare possit circa sensum personalem auctorum dogmaticorum, nihilominus sufficere potest ad Ecclesiæ infamandos auctores, quorum sensum literalem absolute infallibilitate damnat ut hæterodoxum, quia ad hanc infamationem, quæ ad hoc, ne fideles ab hæreticis circumveniantur, regulariter necessaria est omnino sufficere debet moralis evidentiâ circa hæterodoxiam sensus personalis auctorum. Hæc autem moralis evidentiâ facit certitudinem moralem, & certitudo moralis moralem infallibilitatem.

## ARTICULUS XI.

*Solvitur objectio petita ex natura actus, quo credi debet orthodoxia vel hæterodoxia textuum dogmaticorum, decisa ab Ecclesia.*

**O**bj. Non potest, dici quali actu judicare possumus & debeamus hæterodoxiam (idem dic de orthodoxia) textus dogmatici, ab Ecclesia decisi. R. neg. & dico nos posse & debere hæterodoxiam textus dogmatici ab Ecclesia definitam judicare actu firmissimo, proindeque impossibile cum dubitatione qualibet, saltem voluntaria. Quod sufficienter significat Clemens Papa XI. in Bulla quæ incipit; *Vineam Domini*, & in qua decernit, *damnatum in quinque Propositionibus Janseniani libri sensum, quem illarum verba præ se ferunt, ut præfertur, ab omnibus Christi fidelibus ut hæreticum, non ore solum, sed & corde rejici ac damnari debere.*

Ratio autem evidens est, quia postquam Ecclesia definiit textum aliquem dogmaticum hæterodoxum esse, possumus & debemus judicio Ecclesiæ acquiescere actu proportionato infallibilitati, quam habet Ecclesia circa textus dogmaticos. Talis autem actus non est nisi assensus firmissimus, & omnem omnino dubitationem saltem voluntariam excludens: cum Ecclesia circa textus dogmaticos infallibilis sit infallibilitate promissa & divina, quacum absolute impossibile est eam errare in ferenda de orthodoxia vel hæterodoxia textuum dogmaticorum sententiâ. Ex quo

*Confirmatur sic responsio nostra.* Possumus & debemus assentiri firmissimè objecto infallibiliter & immutabiliter vero. Atqui ex hypothese quoddam Ecclesia definiit textum aliquem dogmaticum hæterodoxum esse, hæterodoxia textus illius est objectum verum infallibiliter & immutabiliter etiam infallibilitate & immutabilitate absoluta: tunc enim tam impossibile est textum illum esse orthodoxum, quàm Ecclesiam cum infallibilitate promissa & divina circa textus dogmaticos errare in definienda eorum orthodoxia vel hæterodoxia. Ergo, &c.

*Dices.* Actus ille, quo dicimus posse & debere hæterodoxiam textus dogmatici ab Ecclesia decisi

*Simonnet Theol. Tom. II.*

judicare firmissimè, vel erit fides divina, vel non. Neutrum dici potest. Non primum; nam hæterodoxia textus dogmatici, etiam postquam ab Ecclesia decisa est, non est res à Deo revelata. Quod autem à Deo revelatum non est, fide divina credi non potest. Non etiam secundum: nam si actus ille non est fides divina, quomodo potest esse assensus firmissimus? Ad hoc argumentum, quo ut peremptorio perperam gloriantur novatores.

R. 1. hanc difficultatem ipsimet adversariis nobiscum esse communem: nam fateantur hæterodoxiam quinque Propositionum ab Ecclesia auctoritate infallibili decisi fuisse, adedque planè certam esse & indubitatam, ac proinde posse & debere actu firmissimo judicari. At quinque Propositiones sunt textus dogmatici, & earum hæterodoxia non magis est à Deo revelata, quàm hæterodoxia aliorum quorumlibet textuum dogmaticorum, quos ut hæterodoxos Ecclesia damnavit. Quo igitur actu quinque Propositionum hæterodoxiam firmissimè judicari posse & debere dixerint, eodem actu pari jure dicemus firmissimè judicandum esse hæterodoxiam alterius cujuscumque textus dogmatici, quem Ecclesiam ut hæterodoxum damnaverit. Sed

R. 2. juxta multorum Doctorum catholicorum sententiam, hæterodoxiam textus dogmatici ab Ecclesia decisi, firmissimè judicari posse per fidem, quam vocant Ecclesiasticam.

*Nota.* Doctores illi distinguunt fidem triplicem, divinam scilicet, quæ nititur auctoritate divina; humanam, quæ nititur auctoritate merè humana; & intermediam, quæ Ecclesiastica dicitur, quia nititur auctoritate Ecclesiæ aliquid definitis cum speciali Spiritus sancti assistentiâ, quacum in sua definitione errare non potest. Secunda fides non est firma, sed formidolosa, quia nititur auctoritate fallibili. Prima verò & tertia sunt firmissimæ, quia auctoritate absolute infallibili nituntur; sic tamen ut tertia sit inferioris ordinis ad primam, quia hæc imparticipata infallibilitate nititur: Deus enim non ab alio, sed à se infallibilis est; illa verò nititur infallibilitate participata & accepta; Ecclesia enim non à se, sed à Spiritu Sancto ipsi specialiter assistente habet, ut sit circa textus dogmaticos, sicut & circa fidei dogmata, infallibilis.

Possumus ergo, juxta S. Doctores illos, hæterodoxiam textus dogmatici, quem ut hæterodoxum damnavit Ecclesia, actu firmissimo judicare propter auctoritatem Ecclesiæ illam definitis, & in illa definienda propter specialem Spiritus Sancti assistentiam infallibilis. Qui actus sic exprimi potest: Credo hunc textum esse hæterodoxum, quia Ecclesia, quam in definienda textuum dogmaticorum orthodoxia vel hæterodoxia errare impossibile est, hæterodoxum esse pronuntiavit. Hic autem actus rectè dicitur fides Ecclesiastica, tum ut sic distinguatur & à fide divina, quæ est superioris ordinis, & à fide purè humana, quæ non est firma, sed formidolosa; tum quia infallibilis Ecclesiæ declaratione tanquam motivo intrinseco nititur, & in ea sistit.

Dixi autem juxta multorum, &c. quia Doctores alii putant hanc fidem non esse purè ecclesiasticam, sed partem ecclesiasticam, partim divinam; ecclesiasticam quidem, propter auctoritatem Ecclesiæ definitis, propter quam proximè & immediatè judicatur hæterodoxia textus damnari; partim verò divinam, quia putant illum actum, quo hæterodoxia textus damnari judicatur, non sistere in auctoritate Ecclesiæ textum ut hæterodoxum damnantis sed ulterius tendere ad revelationem Dei creditur propositam, propter scilicet per se creditam auctoritatem Ecclesiæ eodem illo actu creditur. Unde si quæras ab eis actus sui resolutionem, sic respondebunt: Credo hunc textum dogmaticum esse hæterodoxum, quia Ecclesia, quæ hæterodoxum esse declaravit, in declaranda orthodoxia vel hæterodoxia textuum dogmaticorum infallibilis est; & credo Ecclesiam sic esse infallibilem quia eam sic infallibilem fore, in Scripturis divinis revelatum est creditibiliter.

Dd 3 R. de-

*R. denique 3.* Heterodoxiam textus dogmatici, ab Ecclesia definitam, posse etiam judicari per actum fidei divinæ, quod breviter demonstro. Illud omne potest credi fide divina, quod necessariam habet connexionem cum veritate alicujus revelationis: potest enim judicari immediatè propter revelationem, quia revelatio est sufficientissimum motivum assentiendi objecto habenti necessariam connexionem cum ejus veritate, quod illi commune est cum omni alio motivo. Atqui heterodoxia textus dogmatici, definita ab Ecclesia, necessariò connexa est cum veritate alicujus revelationis, illius scilicet, qua olim à Deo revelatum est, Ecclesiam fore infallibilem in interpretandis & qualificandis textibus dogmaticis: nam evidens est, quòd si textus dogmaticus, quem ut heterodoxum damnavit Ecclesia, non heterodoxus esset, sed orthodoxus, Deus falsum dixisset, revelando Ecclesiam fore infallibilem circa textus dogmaticos. Ergo heterodoxia textus dogmatici, definita ab Ecclesia, potest credi fide divina.

Hic autem actus fidei divinæ sic potest exprimi: Credo hunc textum dogmaticum, quem ut heterodoxum Ecclesia damnavit, re ipsa heterodoxum esse, quia Deus, qui nec falli potest, nec fallere, olim credibiliter revelavit, Ecclesiam in interpretandis textibus quibuscumque dogmaticis, illisque approbandis vel reprobandis infallibilem fore. Cum igitur fides divina sit actus super omnia firmus, possum heterodoxiam textus cujuscumque dogmatici ab Ecclesia definitam, putà heterodoxiam epistolæ Nestorii ad Cyrillum, quam Synodus Ephesina damnavit ut Symbolo Nicæno adversantem, & hæreticam, actu super omnia firmo credere.

*Dices.* Heterodoxia epistolæ Nestorii, quamvis definita ab Ecclesia in œcumenica Synodo, non est revelata. Ergo quamvis definita ab Ecclesia, non potest credi fide divina. *R. dist. ant.* Non est revelata formaliter, *C. ant.* Non est revelata æquivalenter, *N. ant.* Nam postquam ab Ecclesia definita est, habet necessariam connexionem cum veritate alicujus revelationis, propter quam proinde tam potest immediatè credi, quàm si esset revelata formaliter; quod est esse æquivalenter revelatum, ut patet ex terminis. Unde nego conseq.

*Dices.* Factum quinti sæculi non potest dici à Deo revelatum. Atqui heterodoxia epistolæ Nestorii est factum quinti sæculi. Ergo, &c. *R.* factum quinti sæculi esse non posse revelatum formaliter, in revelationibus scilicet olim à Deo factis; at posse in hisce revelationibus revelatum esse æquivalenter, hoc est, posse perinde se habere in ordine ad credi fide divinā propter aliquam ex hisce revelationibus, ac si esset revelatum formaliter. Ratio est, quia fieri potest ut factum quinti sæculi, si ponatur certa conditio, incipiat habere necessariam connexionem cum veritate alicujus ex revelationibus olim à Deo factis, & sic tam fiat propter illam credibile actu super omnia firmo, quàm si expressè & formaliter esset olim revelatum; quod est, revelari æquivalenter.

*Dices.* Heterodoxia textus Nestorii, antequam decideretur ab Ecclesia, non poterat credi fide divina. Ergo nec potuit postea. *R. neg. conseq.* Disparitas est, quia heterodoxia textus Nestorii, postquam decisa fuit ab Ecclesia, necessariam habere cepit connexionem cum veritate revelationis, qua olim à Deo revelatum fuerat Ecclesiam fore infallibilem circa textus dogmaticos, adeoque postquam decisa fuit ab Ecclesia, potuit immediatè credi propter hanc revelationem, propter quam, antequam ab Ecclesia decideretur, non poterat sic credi, quia nondum cum ejus veritate connexa erat. *Breviter.* Heterodoxia textus Nestorii ante judicium Ecclesiæ non erat æquivalenter revelata, unde tunc non poterat credi fide divina; post judicium Ecclesiæ fuit æquivalenter revelata, unde tunc potuit, & nunc potest credi fide divina.

*Dices.* Si ita est, quando Ecclesia textum aliquem dogmaticum damnavit ut hæreticum, textus illius heterodoxia est novus articulus fidei. Absurdum conf. Ergo,

&c. *Probabis min.* Nam Ecclesia nec condit, nec condere potest novos fidei articulos. *R. dist. seq. maj.* Textus illius heterodoxia est articulus fidei novus simpliciter, *N. seq. maj.* non enim est veritas de novo formaliter & secundum se à Deo revelata. Textus illius heterodoxia est articulus fidei novus secundum quid, *C. seq. maj.* est enim veritas de novo fide divina credibilis propter revelationem olim à Deo factam, quia cum ejus veritate, post Ecclesiæ sententiam, jam habet connexionem, quam antea non habebat, unde antea non erat fide divina credibilis; in quo absurdi nihil est.

*Ad prob. min. R.* Ecclesiam non condere novos simpliciter articulos fidei, quia Spiritus sanctus nihil de novo per Ecclesiam revelat simpliciter & secundum se. At Ecclesia condere potest, & condit articulos fidei novos secundum quid, quia Spiritus sanctus per Ecclesiam revelationes olim à se factas applicat & extendit ad objecta particularia, quæ proinde tam possunt & debent à fidelibus omnibus super omnia credi propter revelationes illas, quàm, si de novo formaliter & secundum se revelarentur. Certe si de novo formaliter & secundum se revelarentur, possent & deberent credi fide divina, quia existentia illorum necessariam haberet connexionem cum veritate revelationum de novo factarum. Atqui existentia illorum non minùs connexa est cum veritate revelationum olim factarum, postquam Ecclesia has revelationes ad illa extendit & applicuit. Ergo postquam has revelationes ad illa extendit & applicuit Ecclesia, tam possunt & debent fide divina credi.

Itaque quando Ecclesia in Ephesina Synodo textum Nestorii hæreticum pronuntiavit, tunc Spiritus sancto specialiter ei assistente, revelationem de sua circa textus dogmaticos infallibilitate, olim à Deo factam, extendit ad textus illius heterodoxiam, quatenus posito illo Ecclesiæ de textu Nestorii judicio, tam impossibile est textum hunc non esse heterodoxum, quàm impossibile est Deum falsò revelasse Ecclesiam circa textus dogmaticos fore infallibilem; vel, si vis, quatenus per illud suum de textu Nestorii judicium Ecclesia sic textus illius heterodoxiam connexuit cum veritate revelationis de sua circa textus dogmaticos infallibilitate olim à Deo factæ, ut concessa veritate revelationis, concedenda sit heterodoxia textus; & negata textus heterodoxia, neganda sit veritas revelationis.

Porrò ubi primum extitit hæc connexio, revelatio olim facta à Deo de infallibilitate Ecclesiæ circa textus dogmaticos, tam exegit ut propter ipsam crederetur heterodoxia textus Nestorii, & tam apta fuit movere intellectum ad eam credendam actu fidei divinæ, quàm expressa & formalis hujus heterodoxiæ revelatio de novo facta à Deo, exegisset eam credi, & quàm intellectum ad eam actu fidei divinæ credendam movere apta fuisset. Quare Ecclesia textum Nestorii hæreticum declarando, condidit articulum fidei non simpliciter, sed secundum quid novum, & post Ecclesiæ declarationem heterodoxia textus Nestorii est articulus fidei non simpliciter, sed secundum quid novus: est quidem articulus fidei, quia post declarationem Ecclesiæ immediatè credi super omnia potest propter auctoritatem primæ veritatis revelantis: est articulus fidei novus secundum quid tantum, quia declaratio Ecclesiæ non est nova revelatio, sed tantum revelationis olim factæ extensio ad objectum particulare, quatenus posita hac Ecclesiæ declaratione, objectum illud cum veritate revelationis olim factæ necessariam habet connexionem, quam connexionem antea non habebat.

*Dices.* Si ita est, qui negaret heterodoxum esse textum Nestorii, postquam ut talis in Ephesina Synodo damnatus est, hoc ipso esset hæreticus. *R. ita esse:* nam ille est hæreticus, qui resistit Ecclesiæ sufficienter proponenti veritatem aliquam ut credendam fide divinā. Atqui ille qui negaret, &c. resisteret Ecclesiæ sufficienter proponenti heterodoxiam textus Nestorii ut fide divina credendam. Ergo, &c. Propter eandem

candem rationem, qui negaret ipsam Synodum Ephesinam œcumenicam esse & legitimam, hoc ipso hæreticus esset: quamvis Ephesinæ Synodi œcumenicitas, ut ita loquar, & legitimitas nunquam fuerint nisi æquivalenter revelata, postquam scilicet hæc Synodus ab Ecclesia universa ut œcumenica & legitima recepta est.

*Quæres*, utrum non solum corpus pastorale, sed etiam Sedes Apostolica, promissam & divinam circa textus dogmaticos infallibilitatem habeat?

R. Affirmativè, & breviter demonstratur. Nam Sedes Apostolica, quæ est mater & magistra fidelium, cum munere & obligatione docendi fideles, accepit omnem infallibilitatem ad rectè docendum necessariam, juxta illud Christi, *Rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua .... Confirma fratres tuos*. Atqui ad rectè docendum, ut apertè significat Synodus quinta verbis suo loco laudatis, & ut à nobis probatum est, præter infallibilitatem circa fidei dogmata, requiritur infallibilitas circa textus dogmaticos. Ergo Sedes Apostolica utramque accepit infallibilitatem.

Porrò suæ circa textus dogmaticos infallibilitatis invictissimum argumentum, & quidem, quod imprimis observandum est, Ecclesiæ universæ partim expresso, partim tacito suffragio confirmatum, submi-

nistrat nobis Sedes Apostolica in Formulario Alexandri VII. Nunquam enim Sedes hæc, Ecclesia præsertim universa, partim expressè, partim tacitè suffragante, fideles compelleret ad rejiciendum & damnandum textum Janseii ut heterodoxum, etiam addito juramento, adeòque ad heterodoxiam textus Janseii firmissimè credendam, & in fidei formula irretractabili actu confitendam, nisi ipsa planè certa esset de sua in interpretandis & judicandis textibus dogmaticis infallibilitate, & hæc infallibilitas Ecclesiæ universæ exploratissima esset. Quæ res cum ad fidem manifestè pertineat, in ea Sedem Apostolicam, & cum Sede Apostolica Ecclesiam universam errare posse, manifestè hæreticum esset asserere. Hinc

*Sic adhuc argumentor*. Sedes Apostolica in præscribendo fidelibus Formulario Alexandri VII. evidenter se ipsam, si non signatè, saltem exercitè profertur infallibilem circa textus dogmaticos, Ecclesia universa partim expressè, partim tacitè suffragante. Ergo vel Sedes Apostolica re ipsa circa textus dogmaticos infallibilis est, vel Sedes Apostolica, & cum ea Ecclesia universa errat in re ad fidem pertinente. Secundum dici non potest sine manifesta hæresi. Ergo primum dici debet, & ab omni homine fideli ut planè certum ac indubitatum teneri.

